
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Disputatio de Potentia in rebus.
2. Disp. de Synonymo et Paronymo.
3. Gymnasium Logicum.
4. Tractatus de Pace edit. 1641.
5. Genethlia sive Natalitia ed. 1642.
6. Delineatio Colloquii inter Valerianum Magnum, Capuccinum et Henricum Nicolai.
7. Erklärung des Sprüchs Eccles. IV. 4. secunda editio.
8. Anatome Papismi imprimis Jesuitici.
9. Nathanael Hilgner Predigt bey der Leichbegängniß Henrici Nicolai gehalten.

D. O. M. A.

ANATOME PAPISMI

Imprimis Jesuitici,

Ratione dogmatum, principiorum, hypothesium, Consectariorum, effectorum, Theorias & praxios.

STETINI,
Imprimebat DANIEL STARCK, Reg. Gymn. CAROL. Typogr.
Anno 1682.

LECTORI CHRISTIANO S. ET PACEM CHRISTI.

PEriculosæ plenum opus aleæ fortè videatur Lector Christiane de genio sectæ judicare, aut aliis noscendum sistere. Tutius silere, qvam pauca commentari censeatur. Me sanè non tam perficiendi spes, qvam reperiundi voluntas, & temporum status induxerunt. Res ipsæ traditæ, campis controversiarum à longo exercitæ, inter doctos notoriæ sunt. Nec universa, qvæ hic dici possint, complectendi lubido incessit. Sed indicia posuisse, lineamenta duxisse, satis visum fuit, qvibus qvid colligi paratum sit constare ex parte qveat. Pleraq; alibi in Controversiis cum Pontificiis locum suum habent, ubi specialius discussionem inveniant. Sed noscendum immanem sectam, sanctorum sangvine ebriam cæteras audacissimè hæreticas proclamantem, Papismum Jesuiticum Synopsi per principia, ac hypoteses spectatam sisto, & in tuam clientelam S. P. maxime commendare audeo. Tempora qveis vivimus, spectantibus facilè provisu, necessarium factu esse, si gangrænam qvo pervadere, processus, hypocrises, mendacia, ac astus qvibus ditionibus, ac regnis se insinuare, & ad oscula pedum Anti-Christi in templo DEI sedentis invitare sustinet, curatius perspiciamus. Vix spes recipiendæ antiqvæ Veritatis ante secula animis potuit offerri, nec ulli remedio locus contra tantum malorum apparatum

ratum apparuit. Ausi tamen pauci, & lucem, qvam viderunt, aliis prælucere conati sunt. DEUS QVE successus largitus, ut in priscum nitorem se erueret Veritas, & regnum perditionis ostenderet, ac convelleret. Gratia debetur conatibus: Si qvid posteris eruendum reliqverunt, ultra moliri, deducere, repræsentare æqvum est. Non uni seculo universa DEUS indulget. Ætas temporum sucessiones postulat, & ante rei complementa spei rudimenta pracedere solent. Optimi viri ante nos vanitatem Rom: Tb. orbi ostendere nixi, donec nostris temporibus & artes Romanæ notescere, & turpitudo Papismi vulgari cepit. Supparasitastri tamen velare aggressi, & tibicines supponunt, qveis fulciatur res Romana, & colores inducunt, qvibus in amorem Orbis nescientibus reducatur. Loyolæ auspiciis orbi inducti caput præreliqvis ostentare ceperunt. Non defuerunt tamen ex opposito Viri Evangelici, qvi DEI auxilio perizomata & dolos universos Orbi ostenderunt. Me Synopsin tantum Papismi sistere juvit, ut genius in speculo velut alluceret. Eam tuo maximè patrocinio commendare ausus, Max: Principum, unicum rogare necessum habeo, ne levidense opusculum ab tholis tuis refigatur, Bono Evangelico sanè destinatum, & qvod uberioribus curis locum suum facile relinqvat. Qvod si DEUS suppeditet, elaboratiore Pallade me C. T. approbare deinceps licuerit. Qvod dum voveo simul Illustriss. Tuæ Domui, & soboli nuper a DEO indultæ omnigenam felicitatem ex animo apprecor.

Qvod

QVod à *Philoſophis in Civilibus diſciplinis reqviri ſolet*, & prodeſſe judicatur, ut præter diſciplinas ipſas, Philoſophiam, Juridicam, Medicinam, aliasvè, objecta ſua plenè diſtinctèq; repræſentantes, & *Pædia diſciplinaris* proponatur, *Habitus nempè aliqvis Cenſorius*, cujus facultate de diſciplinæ nativo genio, principiis, finibus, natura ac indole dextrè accurateq; judicetur, cujusq; velut regulæ formâ diſciplinarum jura, privilegia, ſtatus & fines ſalvi ratiq; manere & defendi qveant, unde ſæpius *Ariſtoteles* in ſcriptis ſuis *Pædiæ* meminit, *ut L. 1. Metap. C. ult. Et L. 2. C. 3. L. 1. d. part. anim. C. 1. Et L. 1. Nicom. C. 1.* ut pluribus *ȼ. 14. Curſ. Phil.* dictum: *Ei ſi analogon qvid & in Theologiæ habitu reqvirendum afferatur*, non à re alienè, nec ſine uſu afferi videatur. Namq; & hic *Pædia aliqva vel Prudentia Cenſoria ſpiritualis* utiliter ponatur, Cujus beneficio de Theologiæ omniumq; in eâ partium ac dogmatum nativâ indole ac genio dextrè judicari doceatur, fines, jura, privilegia ejus rata tectaq; retineantur, defendantur, rectenè an ſecus, omnia ſe gerant, notetur ac deprehendatur. Ac talis habitus cum in ipſis partibus & dogmatibus dignoſcendis non ignobilis utilitas futura ſit: *Tùm* & in falſorum notatione ac oſtenſione uſum ille præſtiterit, ut ejuscemodi Prudentiæ beneficio inſtructus animus ad accurratè penetrandam habitus naturam & reqviſita paratus evadat. *Sed* & in erroneæ ſectæ indolem noſcendam detegendamq; momenta ille conferre qveat, qvò principia, hypotheſes, Conſectaria, effecta falſimoniæ juſtè notari, aliisq; noſcenda proponi posſint, ut ad fugam nocivæ ματαιότητος inducantur. Qvomodo non ſine uſu futurum ſit, anatomen *Photinismi, Weigelismi, Judaismi, Mahometismi, ſimilisq; ſectæ* juſtè inſtitui, ut qvid in ſectis propriè lateat, qvid ab illis exſpectari poſſit, qvibus principiis ac hypotheſibus procedant, qvo pacto majore opere caveri fugiq; eas fas ſit, qvantum noxæ inferre qveant, animus humanus diſtinctiùs cognoſcat, & ab erroneis, qvæ ſuppetunt, diligentiùs cavere condiſcat.

2. De *aliis Sectis* aliàs Scriptoribus nonnulla conſtituta ſunt. *Molinæus* anatomen Arminianiſmi ſuppetiit. *Stegmannus, Tummius, Feurbornius, Calovius, Lud. Crocius*, Photiniſmum; *Tummius & Joh. Crocius* Weigeliſmum; *Wigandus & Oſiander* Anabaptismum; *Meisnerus in probâ & diſp. qvibusd. & T. 4. Gieſen.* Calviniſmum; *Forerus* in Symbolo; Lutheriſmum, ſed non ſine ingentibus calumniis ac depravationibus, ut aliis deductum; *Carthuſianus*; Mahometiſmum; *Hoornbeck* Weigeliſmum & Svencfeldiſmum repræſentarunt. *Tannerus* anatomen Lutheri edidit. *Chamier* in Tomis Panſtratias, *Ameſius* in Bellarm. enervato, *Vorſtius* in Tomis contra Bellarm. & cauſis deſerendi Papatus; *Molinæus* in novitate Papiſmi, *Tummius* im Bericht de Papatu, *Echardus* in Pandectis Papiſt. *Gieſenius in Papismo, Oſiander in enchirid. c. Papiſt.* Aliiq; *Papismum* exenterare aggreſſi ſunt. *Chemnitius, Haſenmüllerus, Vargas, Jeſuitismum* adumbrarunt. *Mihi anatomen Papismi* breviter ſiſtere conſtitutum eſt, ut dogmatum ratio in eo meliùs pateſcat, Theoria & praxis diſtinctè repræſentatæ naturam ejus pleniùs aperiant, & qvàm nociva dogmate contineat, qvàm in principiis ac hypotheſibus non multum ſani proponat, faciliùs noteſcere qveat, eoq; accuratiùs in fugam ejus Chriſtianus intendere incipiat. *Methodo a. ſeqvente* procedere annitar. *Primò* Corruptionem Papiſmi in dogmatibus per Locos Theologicos indicio tantùm facto oſtendam, qvomodo nullum locum ſalvum reliqverit, omnes errore compleverit. *Deindè* Corruptionem ejus per omnes mundi ſtatus ſiſtam, qvomodo nullum ſtatum incorruptum reliqverit. *Tertiò* vanitatem theorias & praxios in eo detegam inprimis ſi Jeſuiticis hypotheſibus procedatur. *Deniq;* qvàm tetrica principia, hypotheſes, Conſectaria, & effecta contineat, aperiam. E qvibus omnibus noxam Papiſmi lethalem univerſi cognoſcere habebunt.

3. *Principio totius Theologiæ indolem* non unâ ratione corrupit *Papismus.* Cum fides Christiana practica esse debeat, omniaq; sua ad praxin referre, Papismus Theologiam, qvæ fidem proponere, explicare, & defendere inprimis debet, *in varias tricas, curiositates, rixas, & inutiles theorias per Theol. Scholasticam deduxit*, & qvod practicum esse debuit, in merè rixosum ac inutile theoreticum commutavit, nec modus, finis, aut usus curiositatum tandem fuit, sed in infinitum disceptata, commota sunt, qvorum exitus non patuit, de qvo ipsos cordatiores Papistas qvandoq; conqverentes videre licet, ut *Canum L. 8. Locor. C. 1. Sim. de Cassia l. 8. in 4. Evangel.* aliosq;, *Et de Corrupt. fidei theor. t. 3.* monitum. *Principium Theologiæ*, Scripturam, variè corrupit *Papismus*, addendo, demendo, detorqvendo, attributa incompetentia, obscuritatem, ambiguitatem, imperfectionem, dependentiam ab Ecclesiâ, aliaq; ei adscribendo *Ut t. 4.* patebit. *Subjectum ejus*, hominem peccatorem ad salutem ducendum etiam pervertit, dum peccatum originis extenuat, fermè pro peccato non habet, Concupiscentiam in renatis, nisi voluntas accedat, verum peccatum negat, ex actualibus multa naturâ sui venialia esse censet, multa propriis hominis satisfactionibus eluenda expiandaq; tradit, Christi satisfactionem ad originale peccatum coarctat, arbitrio humano viribusq; naturæ nimium in spiritualibus transcribit, Cooperari Sp. Sancto ex sese posse agnoscit, aliaq; tradit, qvæ statui hominis corrupto & restituto variè contraveniunt. *Finem Theol. etiam* corrumpit qvi cum maximè practicus esse debeat, Papismus perfectionem ejus in spinosarum qvæstionum & curiositatum non finiendarum notitiâ tandem collocavit, ut è *Theol. Scholasticis* & disputationibus eorum patere potest, ac *Jesuitæ* ingens rixis pondus & farraginem adjecerunt, ut *Bellarmini, Svaretzij, Vasqvij, Valentiæ, Tanneri, Becani, Joh. Martinonis, & similium Commentationes* docent. Ut meritò dici qveat: *Papista nunqvam*

sine

ſine curioſitate ſapit. Ex praxi meram theoriam in Theol. fecit *Papismus*; in theoriâ nec modum, nec rationem, nec ſcopum tenuit, ſed campum in infinitum vagandi omnibus ſectis aperuit, tractandi modum penitus evertit, principia aliena, rationem, traditionem, Ariſtotelem ſæpius detortum, Patrum dicta alienè adducta, Pontificum decreta ſæpè in vanis ac inutilibus occupata, Scripturam ſæpè alienè adductam adhibuit, vitioſeq; per totam Theologiam ac probationes ejus proceſſit, de qvo ipſi *Papiſtæ* qvandoq; qveruntur, ut in *Theolog.* latius deduci ſolet. *Similiter media Theol. pro homine ſpiritualiter felicitando* ac beando variè detorſit *Papismus.* Fidem pravè definiendo, *t. 8.* De pœnitentiâ, Converſione, regeneratione, renovatione, juſtificatione, erronea plura docendo ac propugnando, *t. 9. 10.* Varia media vana, ſuperſtitioſa, idololatrica, confingendo & ſubſtituendo, ut operum merita, ſupererogationes, indulgentias, relaxationes, alienorum applicationes, defunctorum invocationes, interceſſiones, pro vivis ac mortuis ſuffragationes, Miſſarum celebrationes, applicationes, nundinationes, diſpenſationes, reliqviarum, Conſecratorum venditiones, variumq; multarum ſuperſtitionum Chaos, qvo Papatus oppletus eſt, inducendo, *t. 27. 29.* Ut non multum ſani per univerſam, Theol. remanſerit, & pro Theologia Eriſtica qvædam matæologia inducta fuerit. *Scholaſtici* initia fixerunt: *Seqvens Papatus & Jeſuitarum ſcripta* oleum, ligna, ſarmenta, ſtramina, comportârunt, ac fila in infinitum ducere perrexerunt.

4. *In ſpecie deinde ad Locos Theologicos* deſcendendo & primò illum, *qvi de Scripturâ eſt*, qvæ principium Theologicum eſſe debet, farrago errorum in *Papismò* eſt, qvibus Eccleſia inundata eſt. *Naturam, affectiones, officium Scripturæ corrupit*, addendo, minuendo, vim ac robur ejus enervando, veram interpretandi rationem removendo. *Authoritatem ejus*, qvam ut DEI verbum à DEO, ut autore, divinam habet, ratione noſtri ab Eccleſiâ ſuſpendit,

dit, & in eo propugnando Jesuitæ inprimis strenuos se præstant, ut *Gretseri*, *Bellarm. Tanneri*, *Costeri*, *Huntlæi*, *Becani*, *similiumq́* scripta testantur. Horum n. classica in Christianis qvæstio est, *Unde scis scripturam ipsum DEI verbum esse?* Illum librum, qvem Biblia vocamus, veram illam DEI scripturam esse, non suppositi-tiam? Qvæ aput Christianum audiri non debebat, sed reprobari. Et ante *Jesuitas* exortos non ita vulgatè de ea concertatum animadvertitur. Ac in eo magna jam ipsius Scripturæ perversio est, cum tantum de eâ detrahatur, qvantum te authoritate ejus minuitur. Non DEI verbum plenè est, si authoritatem ex parte ab homine mutuari cogitur. Innotescere & ostendi nobis per Ecclesiam authoritas ejus potest, nunqvam hæc inde dependere, si propriè loqvamur. *De ipsis legitimis Scripturæ libris* non minor est qvæstio; & multos alienos, qvas *Apocryphos* vocamus, pro legitimis *Papismus* obtrusit, ac Canonicis pares *Concil. Tridentinum* aliiq́; scriptores haberi volunt. Ita adjiciendo apocrypha scripturæ, & negando puritatem Canonici textus, ac authoritatem, claritatem, perfectionem script. impugnando Pap. peccavit. De qvo in Theologicis pleniùs tractatur. *De vero Scripturæ sensu*, unde ille sumendus, in qvo velut formale ejus consistit, similiter disceptatio mota. Negatur, ab ipsa script. petendus, nec eam ad sensum satis promendum in rebus fidei sufficientem esse, sed ab Ecclesiâ ad ultimum eum sumendum esse traditur. *Affectiones Scripturæ plerasq́ Papismus Jesuiticus negat* & pertinaciter impugnat, qvæ veteri Papismo non ita rigidè impugnatæ fuerunt. Veluti in rebus ad fidem *perfectionem*, in fundamentalibus *claritatem*, in dogmatibus *interpretationem*, in authentico textu *integritatem ac incorruptionem*, in versionibus *sufficientem ac liberam licentiam*, & originalis textus præ omni versione *prærogativam*, in lectione freqventem usum ac *libertatem* etiam Laicis concessam, in interpretatione justam & accuratam rationem, cujus injustam

ad

ad ſolam Rom. Eccleſiam alligationem inducit, in efficaciâ *motionem* ejus extenuat, & qvandoq; irridet, ac blaſphemè cum inſulſis ſcriptis, ut Alcorano, vel Æſopi fabulis comparat. *Sic & officium ejus, qvod in normando, regulando*, & judicando controverſa dogmata ſpiritualia conſiſtit, partim coarctat, partim planè negat & impugnat *Papismus Jeſuiticus. In Colloqvio Ratisbonenſi* ipſi Spiritui S. in & per ſcripturam loqventi, ſupremum judicandi jus impiè à Jeſuitis, *Gretſero & Tannero*, abrogatum eſt. Scripturam in utile commonitorium pro ſpiritualib9, non regulatorium Chriſtianis datam profitentur. Specialiter hæc omnia *in Polemicâ Theol.* deducta ſunt, & Controverſiarum cum *Papiſtis* in hoc loco praxis univerſa membra pertractat. Mihi *indicem hic poſuiſſe* ſufficiat, corruptionis in loco de Scripturâ à *Papiſmo* invectæ, qvem Controverſiæ ipſæ per partes ſuas in *Locis Theol.* dilucidè detexant. Nec acta agere modò neceſſum fuit.

5. In *Loco de DEO, Trinitate, DEI Filio & Spiritu S.* non una labes *Papiſmo* illata, etſi fundamentum dogmatis aliàs utcunq; retinuerit. *Notitiam DEI naturalem* gentilibus & populis ante legem ad ſalutem ſuffeciſſe, multi eorum docent, ut *de Notit. Nat. C. 4. t. 15.* dictum. Trinitatem multi & ex naturâ oſtendi poſſe dixerunt, *ut Lullius, Richardus, Henricus Scotus, Raymundus de Sabaude, Mutius Panſa, Chanaſſius, Faber, aliiq., ut c. l.* dictum. Eandem curioſæ Scholaſticorum diſceptationes in partes & minutias periculosè diſciderunt, omniaq; in incertum ferme redegerunt, ut nec hoc, nec illud, ſatis firmiter conſiſtat, ut *Dorſcheus, in intervventione & ſcriptis contra Corneum*, & author *Turco-Papiſmi de maledict. Turcopapiz. L. 1. c. 3.* multis deduxit, & *Jeſuitæ* inter præcipuas omnes iſtas diſſectiones probant, fovent, & pertexunt, in Theolog. ſuis ſcolaſticis ut ſcripta *t. 3.* citata docent. In Papatu multos latere Arianos, *Luthero* olim dictum. Veritati ejus conſentiat ſiniſtra plerorumq; aſſertio, qvâ ſufficienter ex ſcripturâ, ſine

tradititione eam probari eruive posse communiter negare Jesuitæ solent, ut *Bellarm. L. 4. de Verbo DEI C. 6. Et Method. d. Trin. t. 21.* dixi. Ac dicta, qvæ pro ea adduci solent, à multis enervantur, curiosissimis disputationibus ansa hostibus Trinitatis præbetur, omnia disceptandi, impugnandi, ac rationis principia exigendi, & ut stulta tandem, ac ab omni ratione aliena reprobandi. Et qvæ Adversarii interdum hic adduxerunt, ea sæpius à *Scholasticis* eorumq; disceptationibus mutuata fuerunt. Ita essentiam in divinis generare, simpliciter *Jesuitæ* negant, qvod *Richardus de Villa novà, Abbas Joachimus, aliiq́,* olim affirmarunt. Tandemq; ipsam propriam filii DEI generationem suspectam illud reddere potest.

6. *Similiter* multi DEI filium incarnandum docent, etiamsi homo non lapsus fuisset, ut *Alensis, Albertus M. Scotus, Catharinus, alij.* Qvo officium & scopus incarnati Christi evertitur, *1. Tim. 1. v. 15.* Sic verbum ita uniisse hominem ajunt, ut & totum extra eum sit, qvo unio illa totalis & immeabilis periculosè succuti potest, tandemq́; everti, & ad Nestorianismum aliqvem inclinari. *Naturarum* communionem, indeq́; proprietatum resultantem communicationem, rotundè *Jesuitæ* negant, qvibus negatis, ad intimam ac totalem unionem solvendam viam sterni, & castra Nestorii adiri posse, in *Theolog.* ostenditur. Unione personali, creata tantùm ac finita dona in humanitatem Christi collata esse, iidem asserunt, ut *Bell. l. 3. d. Christ. c. 9.* Qvo vis ea sangvinis Christi, ab omni peccato mundandi, *1. Joh. 1. v. 8.* enervatur, qvæ non creata virtus est. *Omnipotentiam* carni isti similiter communicatam negant, *Valentia T. 4. d. 13. p. 1. Bellarmin. l. 3. d. Christ. c. 16.* aliiq;, qvam veteres Papistæ non ita rigidè negàrunt. Præsentiam ejus in his terris etiam negant, *Bellarmin. 3. d. Christ. c. 16.* Si Cœnam fortè excipias, qvam veteres, ut *Faber, Biel*, magis concedere visi sunt, *ut Tr. de multipræs. t. 72. 74.* dictum. Carnem Christi eadem cum DEO adora-

adoratione colendam negant, *Bellarmin. l. 1. d. invoc. ſanct. c. 12.* Qvod veteres etiam contrà cenſuerunt, & *Job. 5. v. 22. 23.* contrariatur. In enunciatis de Chriſto diſparata prædicari negant, *Bellarmin. 3. de Euchar. c. 19.* Qvo conſeqventer unio in dubium vocari poteſt. Chriſtum in paſſione dolores verè infernales ſuſtinuiſſe negant, *Bellarmin. 4. d. Chriſt. c. 8.* Qvo ſoliditas redemptionis noſtræ ſuccuti poteſt. Eundem tantùm ſecundùm humanam naturam Mediatorem noſtrum eſſe aſſerunt, *Bellarmin. 5. d. Chriſt. c. 1. ſeq.* Qvo robur mediatorii officii inciditur, & via ſatisfactionibus humanis commodior apparatur. Qvo fine forte *Juſuitismus* hypotheſin illam *Stancari* de Chriſto, qvà hominem tantùm mediatore, introduxit. Sacerdotio Chriſti unico ac perpetuo à ſcripturâ memorato, interceſſiones Mariæ & Sanctorum jungunt, Chriſtumq; merito ſuo & ſibi aliqvid acqviſiviſſe, qvo virtus finisq; ſacerdotii illius variè concutitur, *Eſa. 9. v. 6. 1. Cor. 1. v. 30.* Aliaq; *Papismus* tradit, Chriſti naturæ, ſtatui, officio, non ſatis competentia, ut elenchi Theologiæ Polemicæ ſpecialius monſtrare & excutere ſolent.

7. *In Loco de Creatione, Angelis, Corruptione, ſtatu peccati, reſtitutione, gratiâ, prædeſtinatione, libero arbitrio*, varia corruptio à Papismo obtinet, & major ea, qvà Jeſuitico vicinior aut diſtantior. Creaturam à DEO ſeparatim exiſtentem, non in ipſum DEI ſubſiſtere tractam, ad creandum à DEO elevari poſſe, pleriq; *Scholaſticorum & Jeſuitarum* cenſuerunt, qvo ipſo poteſtati DEI infinitæ præjudicium ferri videtur, qvi gloriam ſuam cum altero communicari non patitur, *Eſa. 12. v. 10. c. 40. v. 11.* Gloria a. Creationis ita DEO adſcribitur, ut Creaturis à DEO ſeparatis ſimpliciter negetur, ut in *Natalit. t. 13.* dictum. Multi eorum & æternum mundum condi potuiſſe cenſent, *ut Valentia, Herveus, Svaretz Maſius in 8. Phyſ. q. 10. Scipio Claræmontanus l. 16. d univert c. 18. alii*, qvo æternitati DEI præjudicatum cenſeatur: Ex Creatura-

rum

rum contemplatione gentilibus pleriq; Papistarum salutem adscribunt, ut *t. 5.* dictum, qvo salutis via à Christo ostensa *Joh. 3. Act. 4.* profanatur. *De Angelis*, eorum muniis, ordinibus, varietatibus, operationibus, infinita, curiosissima, & qvæ ab homine dici ac determinari neqveunt, Papismus movit & disceptavit, qvæ tacente Scripturâ rectiùs ignorantur, ut in *Michaelibus* ostensum. Angelos etiam religiosè coli posse, Papismus communiter statuit, qvòad idololatriam via aperiri potest. Aspectis ac apparitionibus dæmonum veritatem exqvirere & discere licitum habet, cum apertè id prohibitum sit, *Deut. 18. v. 11. 12. Esa. 8. v. 19. 20.* Et in fugandis spectris ac dæmonibus superstitiosa media adhibere docet, ut Orationes pro defunctis, missas, peregrinationes ad certa loca, vanas adiurationes, sanctorum reliqvias, res consecratas, & similia: *Imaginem* & similitudinem DEI in hominis primi Creatione otiosè & superstitiosè distingvit *Papismus*, & *Jesuitæ* inprimis propugnant, cum Scriptura & vetustissimi Patres promiscuè vocibus illis pro eodem utantur. Imaginem DEI in ipsa animæ substantiâ collocat, cum magis in rectitudine & justitiâ ejus collocare debeat, *Ephes. 4. v. 24.* Naturalem primo homini dici posse, simpliciter negat Pap. Jesuiticus *Bellarmin. L. d. grat. pri. hom. c. 6.* cum tamen concreata illi fuerit, naturam ejus intimè perfecerit, & naturali propagatione in sobolem traduci debuerit: Rebellionem carnis & spiritus etiam integro homini assignat, *Idem c. 5. & 6.* Qvomodo inordinatio appetitus ipsi Creatori adscribitur & rectitudo ac bonitas hominis evertitur, *Gen. 1. v. 31. Eccles. 7. v. 30.* Immortalitatem ejus supernaturale donum statuit, *Idem c. 9.* De Paradiso adhuc in terris superstite, Enocho ac Eliâ eò translatis ex eoq; ante finem mundi adhuc redituris, Judaica commenta reducit, & otiosè *Jesuitæ* propugnant.

8. Libero hominis corrupti arbitrio in actionibus spiritualibus nimium tribuit, Cum Scriptura id nullum & mortuum

esse

eſſe aſſerat, *Job. 15. v. 5. Epheſ. 2. v. 1.* Et ſic ad Pelagianiſmum aut Semipelag. deflectit, gratiamq; DEI in homine reſtituendo præcidit : Nihil verè peccati habere rationem tradit, niſi qvod voluntarium ſit, cum & in peccatis concepti natiq; ſimus *Pſalmo 51. v. 7.* Qvæ voluntaria eſſe non poſſunt, multaq; infirmitatis ac ignorantiæ peccata in homine occurrant: In qvo peccati originalis natura ſit, Eccleſiam ignorare, docet *Andradius l. 3. defenſ.* Et ferè in merâ privatione eam ponit *Bellarmin. l. 5. d. pecc. c. 15. 16. ſeq.* Qvoddam peccatum naturâ ſui veniale ſtatuit, & ſic peccati fœditatem extenuat, cum Scriptura omnis peccati ſtipendium mortem vocet, *Rom. 6. v. 23.* Peccatum actuale nonniſi externo opere committi docet, cum Scriptura & internos motus vitioſos, peccata cenſeat, *Matth. 5. v. 28.* Concupiſcentiam involuntariam verum peccatum eſſe negat *Bellarm. l. 1. d. pecc. c. 18. L. 5. C. 5. 7. 10.* Peccatum in Spir. S. abſolutè irremiſſibile negat, & in eo propugnando Jeſuitæ ſtrenui ſunt, ut *Bellarm. l. 2. d. pæn. c. 15. Valentia T. 3. d. 1. q. 14. p. 3.* contra expreſſa Chriſti verba, *Matth. 12. & Luc. 12. v. 10.* Gratiam, qvâ DEO cari ſumus, juſtitiam ac qvalitatem qvandam nobis inhærentem facit *Bell. l. 1. de Grat. C. 3. Contra Rom. 5. v. 8. ſeq. Epheſ. 2. v. 4. ſeq.* Aliaq;, qvæ gratuitatam DEI in Chriſto benevolentiam commendant, qvam hoc dogma enervat : Prædeſtinationem & reprobationem hominum abſolutam introducit, eamq; inprimis propugnant Jeſuitæ, *Bell. L. 2. d. grat. C. 16. Becanus T. 1. Opuſc. p. 87. ſeq.* Hominem de electione ſuâ certum eſſe poſſe negat, *Bell. l. 3. d. Juſtif. C. Coſterus C. 4. Enchir.* Cum Scriptura affirmet, *Rom. 8. v. 28. ſeq.* Pro fide, fidem aliqvam implicitam, qvæ nihil eorum, qvæ credat, ſciat, introducit, h. e. umbram & larvam ſolum fidei nomen obtinentem, *Bell. l. 1. d. juſtif. C. 7.* Contra *Rom. 10. v. 14.* Eandem nudum aſſenſum, non fiduciam facit, qvam variè exagitat, *Bell. c. l. C. 5.* Objectum juſtificæ fidei omne DEI verbum facit, *Idem C. 4.* Cum Scriptura

Caritatem DEI in Christo faciat, *Joh. 3. v. 16. Rom. 3. v. 24. seq.* Eandem in solo intellectu locat, exclusâ voluntatis fiduciâ, *Idem c. 6.* De remissione peccatorum perpetuò dubitare jubet, *Bell. 3. d. justif. c. 2. 3.* Infantibus actualem fidem negat, *Idem l. 1. d. bapt. c. 11.* Contra expressum Christi assertum, *Matth. 18. v. 6. Marc. 9. v. 42.* Vivam fidem à caritate separari posse statuit, *Idem l. 2. d. justif. c. 4. & 15.* Contra *Jac. 2. v. 14. seq.* Et justificam fidem eandem cum Historicâ ac miraculosâ facit, *Idem 1. d. Justif. c. 8.* Contra *Matt. 7. v. 21. seq. deniq;* variis modis fidem Theologicam in Objectis locorum Theologicorum spectatam labefactat, depravat, & evertit *Papismus*, ut his *ipsis thesibus* ostenditur.

9. *In justificatione* gratiam, non favorem DEI, sed inhærentem qvandam qvalitatem & sanctitatem in nobis interpretatur. *Ut t. 8.* visum: Qvo vigori gratiæ multum deteritur: Eandem in primam & secundam dirimit, *Costerus c. 6. Enchir.* Cum propriè una ea, & secunda vel justificationis continuatio ac conservatio, vel ostensio & demonstratio ejus sit, *Jac. 2. v. 18. Apoc. 22. v. 11.* Ipsam formam ejusdem pervertit, dum in justitiâ nobis inhærente eam constituit, *Bell. 2. d. Justif. c. 1. seq.* Qvam Scriptura in remissione peccatorum locat, & opera apertè à justificatione coram DEO secernit, *Rom. 4. v. 5. seq. Galat. 2. v. 16. seq.* Imputatam justitiam & Lutheristicum commentum habet & exagitat, *Idem c. l. c. 6. 7.* Et *Jesuitæ* hic se strenuos præbent, cum Scriptura expresè fidem nobis ad justitiam imputari dicat, *Rom. 4. Gal. 3. Phil. 8. v. 9.* Christumq; nobis ut justitiam nostram à DEO factum passim inculcet, *Rom. 3. v. 25. 26. 1. Cor. 1. v. 30. Gal. 2. v. 10.* Eamq; omnibus nostris operibus & meritis opponat, *Rom. 3. 4.* Ut qvi hanc neget aut irrideat, prorsùs Pharisæorum justitiæ ac hypocrisi similis sit, qvi Christum cum suâ justitiâ irridebant & respuebant, propriam suam constituere laborabant, *Rom. 9.* Impiè interim suorum sacrificiorum, battologiarum, jejuniorum, eleemosynarum,

rum, & operum imputationem pro aliis docebant ac inculcabant, ſicq; totaliter à verâ juſtitiâ excidebant, & adhærentes, ſibi in idem perditionis barathrum ſecum præcipitabant, *Rom. 9. v. 31. Matth. 23. v. 15.* Unde toties væ illis à Chriſto inclamatum, *Matth. 23. Luc. 11. Similiter Papiſmus* Chriſti illam juſtitiam non aſſeqvitur, varias interim meritorum humanorum ſuperſtitiones hominibus imputari ac applicari poſſe tradit, easq; vendit ac diſpenſat, *t. 28. 29.* Sicq; homines perinde ac Phariſæi olim dementat, ut apta ſatis comparatio inter *Phariſæismum & Papiſmum* hic inſtitui poſſit, *ut alibi* pluribus deducitur. *Similiter* hominem, non ſolâ fide, ſed & charitate juſtificari docet, *Idem l. 1. c. 12.* Contra apertam Pauli determinationem, *Rom. 4. Gal. 2. 3.* Opera vim coram DEO juſtificandi habere aſſerit, *Idem L. 4. C. 18. 19.* Contra eadem Pauli aliorumq; dicta, & juſtificationem cum renovatione confundit, qvæ Scriptura ſolicitè diſtingvit, *Rom. 3. 4 ſeq.* Ac renovationem in hac vitâ plenam fingit, ut perfectè legem renati ſervare qveant, *Bell. 4. d. Juſtif. c. 10.* Qvod apertè Paulus negat, *Rom. 8. v. 3.* Bona opera ad ſalutem efficiendam ac promerendam neceſſaria facit, *Idem l. 4. c. 7. v. 9.* Qvod Scriptura negat, *Act. 15. v. 1. ſeq. Gal. 2. 3.* Et *in Criſ. Theol. p. 1.* oſtenſum eſt: Et proprio motu electa opera etiam inter bona recenſet, *Idem L. d. Monach. c. 16.* Cum Scriptura vetet, *Deut. 5. v. 38. c. 12. v. 8. 32. Num. 15. v. 39.* Eadem abſolutè bona ae perfecta introducit, *Idem L. 4. c. 15. ſeq.* Qvod Scriptura negat, *Rom. 7. v. 14. ſeq. Jac. 3. v. 2. 1. Joh. 1. v. 8. ſeq.* Eadem æternæ ſalutis meritoria facit, *Idem 5. d Juſtif. c. 1. ſeq.* Cum Scriptura rotundè neget, *Rom. 4. 5. 6. Gal. 2. 3. Luc. 17. v. 10.* Et opera ſupererogationis introducit, *Id. L. d. Mon. c. 10.* Cum Script. nos omnia DEO debere dicat, *Luc. 17.* Et lex DEI perfectiſſimam omnium virium obedientiam reqvirat, *Matth. 5. v. 28. c. 22. v. 37.* Ut qvi in uno labatur, omnium reus evadat; *Jac. 2. v. 10.*

10. *Pœnitentiæ* vocem non pro interiore cordis ac virum mutatione, ſed externo dolore ac pœna ſumit, *Idem l. 1. d. poen. c. 7.* Eandem propriè dictum ſacramentum facit, *Id. C. 8. ſeq.* Secundam poſt naufragium tabulam habet, Confesſionem & ſatisfactionem proprias pœnitentiæ partes cenſet, Interiores Conſcientiæ angores à lege incuſſos & fidem vel erectionem ex eâ factam pœnit. veras partes negat, Contritionem, liberam actionem facit, & paſſionem eſſe negat, eamq; ad Evangelium pertinere aſſerit, & ad juſtificationem, necesſitate medii, adulto neceſſariam eſſe ſtatuit, ac peccatis proportionatam & ſufficientem eſſe debere contendit, *Id. l. 2. c. 10. 12.* Qvomodo ſæpè de Contritionis ſufficientia hominibus dubitandum erit: *Viribus humanis* plus juſto in pœnitentia & Converſione addicit, *de contritionis* magnitudine & ſufficientiâ ſcrupulos varios Conſcientiis injiciet, qvibus fodicantur ea, non inſtruuntur, *Contritionis* merito hominem juſtificari docet, *eandem*, & mero pœnæ metu ortam, ſalutarem eſſe dictat, *Omnium* peccatorum, qvorum memoria ſubit, *particularem* confeſſionem, ad veram pœnitentiam ut neceſſariam reqvirit, *Chriſti* mortem pro pœnis æternis, non autem temporariis, ſatisfactionem eſſe tradit, qvas propriis ſatisfactionibus aſſumptis aut impoſitis eluere neceſſum ſit. *Pœnas temporarias* poſt remiſſas culpas luendas certis operibus expiari, & opera laborioſa, qvibus pœnæ temporales avertantur, ſponte ſuſcipi poſſe aſſerit, *ac eleemoſynas*, preces, ac jejunia noſtra propriè dictas pro pœnis temporalibus ſatisfactiones eſſe prodit, qvæ omnia erronea ac Scripturis adverſa eſſe in *Theologiâ Polemicâ* ſpecialiter oſtenditur. *Unionem fidelium* cum Chriſto non ſubſtantialem, ſed accidentalem tantùm, ſecundum affectus, effectus, operationes, gratias, introducit *Valentia T. 4. d. 4. q. 3. p. I.* Qvo emphaticis loqvendi formis in Scripturâ *Joh. 14 15. 16. 17. 2. Cor. 13. Ephes. 5. 2. Pet I. & alibi*, derogatur, ut pluribus *de Communione Sanctorum c. 2. 4.* oſtenſum, ac de

de Communione Sanctorum erronea multa proponit & propugnat Papatus Jeſuiticus, *ut c. l. c. 5. 6.* deductum eſt.

11. *In Locis de Lege, Evangelio, Veteri & Novo Teſt. Eccleſia, Conciliis,* mare errorum à Papiſmo obtruſum eſt. Legem tantùm poſſibilia præſcribere debere, aſſerit *Bell. l. 5. d. lib. arb. c. 18.* Qvomodo legi divinæ intima virtus præciditur, *Deut. 6. v. 5.* Qvæ homini hodie impoſſibilis. *Promulgationem* ſolennem de eſſentiâ legis ſtatuit, qvo legi naturæ, â primo ortu inditæ, nervus inciditur. *Nullam* legem, niſi cognitam, obligare ait, qvomodo infantibus peccatum cum Pelagianis negabitur, & ignorantiam legis peccatum excuſare affirmat, qvomodo iterùm infantium peccatum abrogabitur, & in lege etiam peccatis ignorantiæ ſacrificia ſtatuta ſunt, *Levit. 5. v. 17.* Impletionem legis moralis homini in ſtatu corruptionis poſſibilem, ait *Bell. l. 4. d. juſtif. c. 10.* Imaginum, reliqviarum, panis Euchariſtici, Sanctorum mortuorum religioſum cultum introducit, & *Jeſuitæ* ſtrenuè propugnant, *Bell. l. 27. d. Sanct. beat. c. 1. v. 11 ſeq.* ſicq; ad Idololatriam amplum campum aperiunt. Chriſtum legem moralem novorum præceptorum adjectione perfeciſſe docet. Juramenta per Angelos, Sanctos, & Sanctorum reliqvias, licere ait, contra *Deut. 6. v. 13.* In illis æqvivocationes, dubias aſſertiones, & mentales reſervationes, licitas eſſe ait, & Jeſuitæ acriter defendunt, *Toletus l. 4. inſtruct. ſacerd. c. 21. Eudæmon Johann. in apolog. aliiq;* Res, certâ verborum forma, ad effectus mirabiles conſecrare, licitum eſſe, ſuperſtitiosè tradit; templa ad ſacrificandum Deo, erigenda ait, & ſuperſtitiosè dedicanda ac conſecranda ſtatuit, feſta nimis multiplicat, ſæpè in illis Judaizat, cultum ipſis in ſeſe adſcribit, variaq; ſuperſtitioſa illis alligat, ut *par. 2. Miſcel. Theol.* dictum. Aſyla interdùm ad impunitatem publicorum facinoroſorum conſtituenda, docet *C. à Lapide, in c. 35. Numeror.* unde nec Judex, nec ullus alius, reum Chriſtianum abſtrahere qveat. Legem & Prophetas nonniſi, temporalia promiſiſſe, Evangelium verò etiam ſpiritualia promittere, tradit *Bell. 4. d. Juſtif. c. 2. ſeq.* Qvod falſum eſſe, ipſa legis verba

docere qveant, *Deut.* 30. *v.* 19. *Luc.* 10. *v.* 38. Christum in N. T. novum legislatorem facit, cum Mosi ut legislatori ille opponatur, *Joh* 1. *v.* 17 *Rom.* 3. *v.* 21. In Evangelio leges propriè dictas, comminationes & promissiones, sub conditione obedientiæ, contineri tradit, qvod propriæ Evangelii Naturæ, cum strictè sumitur, verè adversum est, illudq; in legem transformat, totamq; Decalogi legem profanat ac evertit Papismus, ut *t.* 22. docebitur.

11. *Similiter perfectionis aliqva consilia* à Christo insinuata & commendata fuisse, tradit *Bell. l. d. Mon. c.* 7 Cum nec vox ista de Christo usurpata legatur, & illis, qvibus à Christo aliqva dicta, ut præcepta, non ut consilia data fuerint, ut *Matth.* 19. *v.* 21. Et vendere, qvæ habemus, ac eleemosynas dare jussum fuerit, *Luc.* 12. *v.* 33. Ita Vet. Test præcepta imperfectiora, Novum autem perfectiora proposuisse censet, cum & in veteri perfectissima extent, omniumq; virium accurationem illud reqvirat, *Deut.* 6. *v.* 5. Similiter promissa tantum temporalia habuisse tradit, nullumq; piorum ejus tempore in cœlum ante Christi resurrectionem venisse ait, novum autem æterna promissa simul proponere asserit *Bell. l.* 4. *d. Christ. c.* 11. *Becanus præf.* 2. *Man. Controv.* Contra apertam Pauli assertionem, *Hebr.* 11. *v.* 9. 10. Et Enochi ac Eliæ in cœlos abreptionem, *Gen.* 5. 2. *Reg.* 2. Inter Ecclesiæ membra, omnes in professione fidei, Sacramentorum communione, & ad unum pastorem subjectione consentientes, recenset, etiamsi cœtera reprobi & manifesti peccatores sint, *Bell. l.* 3. *d. Eccles. c.* 2 7. Non baptizatos, Catechumenos, Schismaticos, qvoscunq; excommunicatos, absolutè ab Ecclesiâ excludit *Idem c. l. c.* 3. Semper Ecclesiam in hoc mundo visibilem & conspicuam, nunqvam penitus obscuratam, absolutè in fallibilem esse ait, notas valdè inadæqvatas & generales ejus proponit, ac visibile ejus in terris caput necessariò esse oportere tradit, & Monarchicam ejus gubernationem esse debere asserit, qvalia à *Bellarmino, Gretsero, Becano, Costero, & similibus*

libus defendi certum eſt, ſed qvæ omnia à vero ac Chriſti inſtitutis aliena eſſe, ſatis in Theologicis evincitur. Diſciplinam etiam Eccleſiaſticam, per Paparum recentiores decretales, & infinitas relaxationes, validè enervari certum eſt, & jam olim *Duareno* notatum *præf. L. d. Eccleſ. miniſt.* ac ipſa praxis in Papiſmo docet.

13. *Ita de Pontifice Romano* multa idem *Papiſmus* tradit, qvæ à Scripturâ & primâ antiqvitate planè aliena, & ſucceſſu vitioſorum ſeculorum primùm inducta ac ſuſcepta ſunt, & ad erroneam fidem viam & occaſionem aperire poſſunt. *Ut, qvod Petrus* primus Epiſcopus Romanus fuerit, ſedem Romanam fundaverit, cujus Papa verus ſucceſſor ſit, & qvem continua ſucceſſione omnes Pontifices in hodiernum diem ſubſeqvantur, dataq; à Petro poteſtate Eccleſiæ regimen diſpenſent; *qvod* Chriſti in his terris vicarius Papa Rom. ſit, & Chriſti loco gubernationem totius Eccleſiæ Chriſtianæ teneat ac exerceat; *qvòd* viſibile ac ſecundarium Eccleſiæ Chriſtianæ caput ſit; *qvod* Eccleſiam ut ſponſam ſuam exteriore gubernamine regere ac defendere debeat; *qvòd* Idem in Judicandâ publicè fide, & rebus ad eam pertinentibus, cum pro Cathedrâ ex officio decidit, in re fidei infallibilis ſit, & in decidendo errare non poſſit; *qvòd* claves regni Cœlorum, Petro à Chriſto commiſſas, ipſe ut perpetuus ſucceſſor acceperit, poſſideat, & ex plenâ ac Apoſtolicâ poteſtate in bonum Eccleſiæ exercere debeat; *qvòd* utraq; poteſtate, Spirituali & Politicâ, Eccleſiaſticâ & civili, inſtructus ſit, ut utrumq; gladium licitè juſteq; in Eccleſia exercere poſſit, ſi Eccleſiæ ratio ita poſtulet; *qvòd* Eccleſia Monarchicè hic in terrâ gubernari debeat, non Ariſtocraticè, eaq; adminiſtrandi ratio pulcherrima, exactisſima & perfectiſſima ſit; *qvòd* omnes tituli, Chriſto in ſcripturis attributi, juſtè ad Pontificem applicari poſſint, ut qvòd ſit Sponſus, Pater, Paſtor, Caput Eccleſiæ, petra, fundamentum, lapis angularis, pretioſus, offenſionis & ſcandali; *qvòd* leges Eccleſiaſticæ, à Papa in Eccleſiâ latæ, in Conſci-

entia homines obligent, & Christiani illis absolutè parere cogantur; *qvòd* Reges ac Principes exauthorare, regnis & ditionibus exuere, aliis ea donare, subditos à juramento obedientiæ absolvere, à tota subjectione eximere possit; *qvòd solus* jurisdictionem Ecclesiasticam possideat, & reliqvi Episcopi totam suam potestatem ab illo accipiant; qvod oscula pedum à Christianis in signum subjectionis & reverentiæ justè accipiat; *qvòd* totius Orbis Dominus & rector sit, qvæq́ similia sunt, qvibus scripta veterum & recentiorum *Papistarum* plena sunt, qvæ omnia impia, stulta, ac temeraria asserta sunt, in Scripturis fundamentum nullum habentia, primæ ac puriori antiqvitati prorsus incognita, naturæ regni Christi, Ecclesiæ Christianæ, Apostolorum & priscorum Patrum praxi contraria, & qvibus Christianismus fermè everti, ac in AntiChristismum converti possit, qvæq; sola asserta, de visibili Ecclesiæ his in terris capite, tantaq; ejus potestate, *causæ Christiano esse qveant, ut totum Papismum suspectum habere incipiat*, parumq; Christianismo eum convenire sentiat.

14. *De Conciliis, eorum usu ac authoritate*, non minùs erronea multa sunt, qvæ *Papismus* profitetur. Conciliorum absolutam in Ecclesiâ necessitatem, tradit *Bell. l. 1. d. Conc. c. 11.* Cum restrictam docere debeat. Jus convocandi ea soli Papæ resignat *Idem c. l. c. 12.* Cum primis seculis Imperatores convocasse ac præsedisse certum sit. Ad formam eorum & necessarium reqvisitum Papæ confirmationem reqvirit *Idem L. 2. c. 2. seq.* Cum primis seculis ea etiam non adfuerit. Decisionem materiarum in illis ad solos Episcopos ac Prælatos restringit, non ad omnes idoneos, *Idem c. 16.* Qvæ in illis decisa, absolutè recipienda, nulli disceptanda aut rejicienda esse tradit, *Idem L. 2. c. 5.* Qvæ & fidei Christianæ, & conscientiæ ingens præjudicium parere possunt, & falsitate qvorundam Conciliorum V. & N. Testamenti, in qvibus multa falsa & impia conclusa, convincuntur. *Jesuiticus etiam Papatus* Papam absolutè supra Concilium & uni-

& universam Ecclesiam, contra multos veteres Scriptores ac Canonistas collocat, ut nullum superiorem in terris judicem agnoscat, *Idem L. 2. c. 14.* Qvod Ecclesiæ & Concilio præjudiciosum, multisq; N. T. exemplis Conciliorum adversum est, tandemq; universam Conciliorum authoritatem suspectam reddere potest. *Similiter Tridentinum Concilium* idem Papatus Jesuiticus absolutè legitimum, omnibus Christianis observandum & tenendum objicit, cujus defectus, enormitates ac vitia tamen, à *Protestantibus* multis, in causis rejecti Concilii Trid. ostensa, ab ipsis sanioribus *Pontificiis* qvibusdam, ut *Gallis, Petro Suavis, Fricio, Thuano, Ren. Benedicto, aliisq;* agnita ac notata sunt, ut in Galliâ nunqvam, nisi qvantum privilegiis regni & Ecclesiæ Gallicæ non præjudicat, receptum sit, ut è Pontif. *Gramondus L. 1. & 2. histor. Gall. p. 113.* testatur, alibiq; sufficienter deducitur. Qvidam publicè contra illud protestati esse leguntur. Gallis permittere Eccles. Romanam, nondum admittere Concil. Tridentinum, ait *Chamier T. 5. l. 16. c. 14. t. 3.* Idemq; Ecclesias Gothicanas nondum illud approbasse ait *T. 1. l. 4. c. 3. t. 5.*

15. *A priscâ etiam procedendi ac discutiendi in Conciliis formâ* multum *Papismus* recessit. Olim in *Basiliensi Synodo* statutum, Legem divinam, praxin Christi ac Apostolicam, & Ecclesiæ, una cum Conciliis & Doctoribus, se veraciter in eadem fundantibus, pro certissimo & indifferente Judice in Synodo istâ admittendas esse, ut *Tomi Conciliorum* narrant: sed hodiè & in recentioribus *Papistarum Conciliis* ea parum curantur, ac potius decreta Pontificum, placita præsidentium Paparum, traditiones novellæ, Patrum qvandoq; detorta, aut sinistrè intellecta, aut securius interdum prolata dicta arripiuntur, & ad eorum formas decreta de fide cuduntur & promulgantur. *Concilium Constantiense*, Communionem sub unà specie, non obstante Institutione Christi, & veteris Ecclesiæ more contrà tenente, sub anathemate sanxit & invexit, ac anathema Laicis dixit, qvi sub utraq; communicarent. *Sess. 13. Concil. Tridentinum* ingens

Chaos

Chaos errorum contra Scripturam ac primitivam Ecclesiam invexit, & universam *Papismi* structuram firmavit ac ratihabendam duxit; Adversarios non admissos, auditos, aut satis convictos, publicè sub anathemate damnavit, decreta de rebus non sufficienter discussis sub anathemate promulgavit, omniaq́; ad Papæ & juratorum ejus mancipiorum placita, qvidqvid ex *Pontificiis ipsis nonnulli* qvandoq́; contradixerint, contra omnium primorum & verorum Conciliorum morem, composuit & administravit. Qvâ de re *Protestantes, in causis reprobati Conc. Tridentini, Chemnitius in examine, Gesnerus & Willetus de Conciliis, Chamier T. 2. Panstrat. L. 14. C. 10. L. 9. c. 18. aliiq́;* legi qveant. Qvæ *Jesuiticus Papatus* contrà tricatur, sæpè apertæ veritati, historiæ, & ipsis rebus gestis, publicis gentium protestationibus, & historiarum monumentis contrariantur, ut suis locis specialiter discutitur.

16. *In locis de statibus, Oeconomico, Ecclesiastico, Politico, ut Conjugio, Ministerio, Magistratu, Clericis, Laicis, Monachis, Eremitis, Conjugatis, Cœlibibus,* valida corruptio *Papismo* invecta, & Jesuiticus in multis auxit & propugnavit, qvæ vetustior aut ignoravit, aut dissimulavit, aut moderatiùs defendit. *Conjugium* Sacramentum propriè dictum N. T. ait, & Jesuitæ mordicus propugnant. *Idem* Clericis omnibus superioribus inhibet, & capaces ejus esse negat, cum Scriptura indifferens & liberum relinqvat. *Concubinatum* fert, licentiamq́; ejus concedit, qvi naturâ sui turpis, & cœlibatui ac conjugio adversus est. *Parentum* consensum, ad conjugii honestatem solùm, non necessitatem reqviri, tradit Jesuiticus, etiam repugnantibus illis initum, legitimum defendit, *Bell. l. de matrim. c. 19.* Continentiæ voto sponsalia solvi posse statuit *Id. l. d. Mon. c. 38.* Cum mera traditio humana tale votum sit. Gradus conjugii *Lev. 18. & 20.* prohibitos, solos Judæos, non Christianos obligare, & juris positivi, non naturalis esse asserit, ac personas expressas, non æqvidistantes gradus stringere affirmat, eoq́; in multis Papam dispensare posse tradit,

tradit, factoq; sæpiùs exercet, ut in conjugio duarum sororum, aut sponsæ vel uxoris fratris defuncti, aliisq;, ut praxis docet; cum ne minimum DEI mandatū solvi ab homine possit, *Matth. 5. v. 14.* Sæpè graduum cognationem nimis extendit, ut ad 7. aut 4 gradum, ut largior dispensationi occasio surrogetur, vinculum conjugale absolutè indissolubile propugnat, cum fornicationem Christus *Matth. 5. & 19.* & malitiosam desertionem Paulus 1. Cor. 7. excipiant. Cœlibatum perpetuum vovere, licitum habet, sæpiùs imprudentibus ætatibus eum aptari concedit, probat, promovet, & conjugium ut impurum, carnalem, sordidumq; statum infestat, sæpiusq; convitiis proscindit, qvasi in carne habitent, DEOq; placere non possint conjugati, ut *scripta* testantur, ac Judicem matrimonialium solos clericos, non unà seculares constituendos docet, cum tamen conjugium etiam civilis status sit, eoq; & ex eo commodè Judices deposcat.

17. *De Ministerio* similiter erronea multa *Papismus* proponit, & Jesuiticus incrustat. Solos Ecclesiasticos homines clerum illum statuit, cujus in sacris mentio est, cœteros universos Laicos appellat. *Jus* vocandi clericos solis Episcopis & Clericis addicit, Magistratum & populum fidelem excludit. *Episcopum jure* divino presbytero superiorem facit, cum Scriptura indifferenter usurpet. *Ordines* sacros ad 7. nimis multiplicat, & dissentientes temerè anathemate ferit, ut Concilium Trident. fecit. *Omnes* ordines superiores ad cœlibatum adstringit, conjugio prohibet & arcet, *t. 16.* digamos successivos à sacris ordinibus injustè & contra Scripturam repellit. Clericos & judicio & dominio civilis Magistratus, contra universale assertum Scripturæ, *Rom. 13. v. 1. 1. Pet. 2. v. 13.* eximit. *Monachatum* perfectionis statum asserit, in qvo merita, applicationes, satisfactiones, suffragia, & sæpè supererogationes dari, impiè pugnat. Ex Consiliis Evangelicis alienè deducit vota prorsus peculiaria, nec omnibus data, sæpeq; non in nostrâ potestate sita, Clericatui alligat, habitui & tonsuræ Monachorum peculiaria mysteria adscribit & defen-

defendit. Eremitas citra neceſſitatem introducit, fovet, propugnat, ut *de Commun. Sanctor. c. 6.* dictum. Otioſum Monachorum mendicationes ac ſuſtentationes, contra primæ Eccleſiæ Chriſtianæ exemplum, aſſerit ac tuetur. Confeſſionem Sacerdoti factam abſolutè non indicandam, *Papiſmus Jeſuiticus* propugnat, indeq; anſam ingentibus ſceleribus conciliat, ac Papæ Romano nimiam authoritatem, poteſtatem, & jurisdictionem, tàm in ſpiritualibus qvàm civilibus, addicit, ut *t. 13.* dictum. Sacerdotibus judiciariam poteſtatem abſolvendi & ligandi tribuit, non ſolam miniſterialem. Specialem peccatorum & circumſtantiarum enumerationem reqviri, & de illis cenſeri poſſe ait. Temporales pœnas ſatisfactionibus impoſitis avertere, per indulgentias reatus pœnæ temporalis in foro pœnitentiario ſoluere, & ſolum Epiſcopum excommunicare poſſe docet. Qvæ omnia errorum plena eſſe, in Theologicis abundè oſtendi ſolet.

18, *De Magiſtratu ejúsq; ſtatu*, non unus error eſt, qvem *Papiſmus* tenet & propugnat. *Statum ejus* ſæpiùs lancinat, conviciis proſcindit, privilegia ejus extenuat, officium in multis coarctat, dona & conceſſa eripit, Bibliorum lectionem ei ſuſpectam reddit, confuſam tantùm religionis notitiam ei concedit, Clericos omnes ab imperio ejus eximit, *t. 17.* Curiam eos ingredi non concedit, niſi inqvinari velint, *t. 22.* Calicem in cœna ipſis ut Laicis, æqvè ut vulgo, abſtrahit, curam veræ religionis ac cultus DEI ei adimit, Papæ ac Clericis confert jus indicendi Synodos, & Concilia convocandi, in illis præſidendi, Conſiſtoria conſtituendi, Miniſtros vocandi ac deponendi, in hæreticos inqvirendi, bona Eccleſiaſtica diſpenſandi, de Clericorum cauſis civilibus, perſonis, bonis attinentibus, judicandi, aliaq; auffert, & in Papam ac Clericos transfert. *Clementiam Magiſtratus* infringit, cum hæreticorum excidia probat ac propugnat, ad ea inſtigat, libros hæret. cremandos cenſet, & ſagas univerſim omnes, etiam non veneficas, capitali ſupplicio exſcindendas con-

contendit: *Libertatem ejus* conculcat, dum jus consultandi, decidendi, in Spiritualibus, ei adimit, etiam Politica ad placitum Curiæ Romanæ per legatos, nuncios, suggestores, deflectere monet, & in multis fidem publicam, rescripta, transactiones, variis interpretationibus, elusionibus, attemperationibus, reservationibus, infringere docet, regna ac ditiones sub variis prætensionibus ad se pertrahere instruit, legitimis possessoribus eripi jubet, eos deponit, proscribit, vitam auferri commovet, auferentes laudibus attollit, qvandoq; in sanctis & martyribus connumerat, ut varia *theoria ac praxis Papismi* docet, & *Jesuiticus* artificiis inprimis supra veteres excessit, ut integris Scriptoribus probatum est, Totæq; gentes qvandoq; de vafritia Jesuitarum qvestæ sunt, ut *Galli, Veneti, Cracovienses*, & ex ipsis *Hispanis Alphonsus de Vargas de strategematibus Jesuitarum*, si verum nomen Scriptor præfert.

19. Sed & qvæ *publica theoria Papatus* est, validè Magistratus statum subvertit. Ecclesiasticorum cognitionem ad civilem Mag. non pertinere pugnat, primatum in externo Ecclesiæ regimine eum habere negat, religionem aliam à Pontificiâ violenter extirpandam docet, hæreticos universim capitaliter puniendos, libros eorum concremandos, fidem illis etiam publicè datam non servandam esse pugnat, qvod *qvidam* expressis verbis, ut *Simanca, Brunus, Decianus, alii, qvidam* sub reservato, *omnes* sub hypothesibus, *Concilia* qvædam factis & decretis, ut Constantiense, Lateranense, & *Papæ* nonnulli ipsis exemplis, ut *Leo X. Eugenius, Patres Romani sub Hunniade*, docuerunt, ut in Theologicis multis probatur: Infidelem aut hæreticum Magistratum non tolerandum, officiis & ditionibus à Papâ abdicandum docet ac propugnat, uni homini Ecclesiasticum simul & Politicum regimen in N. T. imponit, ut Papæ, *t. 13.* Et qvæ similia sunt, qvibus statum Magistratus concuti aut subverti oportere conseqvens est. *Justitiam Mag.* variè etiam labefactat *Jesuiticus Papismus*, dum aliqvid usuris simile sub novis nominibus, ut montium

pietatis, fidei, recuperationis, lucri cessantis, introducit & defendit, furtum in casu necessitatis probat, pretium ex meretricando & lupanaribus licitum esse tuetur, rem furto surreptam & pretio emptam legitimo domino restituendam esse negat, reum licitè carcerem & vincula effringere & aufugere, ac Judicem interrogantem ambiguis responsionibus & negationibus eludere posse docet, defensionem necessariam nimis ad bona temporalia, honorem, famam, pericula externa, extendit, & Judicem præcisè ad acta ac probata, etiam contra propriam Conscientiam, ubi meliùs sciat, judicare debere, ferè universaliter asseverat. Qvalia erronea illicitaq; esse, fusè in Theologicis & Casibus Conscientiæ deducitur.

20. *In Locis de praxibus generalibus & specialibus* etiam corruptio *Papismo* invecta. *Generalibus*, ut religione, fide, spe, Caritate, Veracitate, Temperantiâ, Carnis mortificatione, bonis operibus, Ceremoniis, adiaphoris, & similibus. *Religionem* in ignorantiâ sæpè constituit, ut credatur, qvod credit Ecclesia, etiamsi qvid & qvantum illud sit, prorsus ignoretur, *t. 8.* Eandem in electitiis & superstitiosis cultibus coram DEO statui posse censet, sine speciali fiduciâ gratiæ in Christo exhibitæ, consistere posse docet, Religiosos solos clericos, Monachos, & ordinum homines dicit, cœteros irreligiosos & Laicos vocat, *t. 17.* de fidei naturâ, attributis, effectis, erronea varia proponit, *t. 8.* Contra Veracitatem æqvivocationes, electiones, reservationes, ambiguas ac dolosas responsiones, juramenta æqvivoca probat, & Jesuitæ alacriter defendunt ac extendunt, ut *Dec. 3. Misc. d. 7.* dictum. Fidem hæreticis datam servandam negat, *t. 19.* Religionem celari ac negari, falsamq; & idololatricam licitè interdùm simulari posse tradit: *Contra temperantiam* jejunium in ciborum delectu, non neglectu & defectu, introducit, contra Scripturæ morem & jejunii naturam, *ut c. l. d. 5.* dictum. Idem in abstinentiâ à solo cibo, non etiam potu, illud collocat, per se cultum DEI facit, & jejunando pro peccatis satisfieri, peccatorum veniam acqviri,

acqviri, & salutem promereri docet, stata ejus tempora introducit, qvadragesimale ab Apostolis institutum, & absolutè in Ecclesiâ servandum jubet, ac triduanum 4. temporum aliaq; necessariò in Ecclesiâ sub opinione cultus & meriti servanda esse pugnat.

21. *Contra justitiam varia* introducit, qvibus ea succutitur, ut *t.19.* ostensum. *Contra spei certitudinem*, dogma de dubitatione gratiæ, justificationis, & salvationis propugnat, & certitudinem tantùm de posse salvari, non ipso salvari relinqvit, *t. 8.* spem propriè dictam certam notitiam excludere ait, & sic valdè vacillantem reddit, ac Christianam esse omninò in eâ enervat. Hæc enim, DEI, promissis, qvi prima veritas, nixa, solidissima esse debet. *Contra Caritatis naturam ei* apprehensionem tribuit, qvæ propriè fidei est: Eandem formam fidei facit, unde fidem formatam & informem introducit, cum disparata à fide virtus sit, Caritatem amici præstantiorem dilectione inimici facit, cum Scriptura contrarium insinuet, *Matth.5.v.44.seq. Rom.5.v.7.8.10.* Carnis mortificationem, in flagellationibus, peregrinationibus, ciliciis, austerâ vitâ collocat, illiq; merita apponit, cum Scriptura longè alia intendat, ut *Epit.Theol. L.1.c.13. Et L.2.c.5.* monitum. Bona opera etiam in cultibus electitiis & superstitiosis reponit, eadem ad procurandam salutem necessaria dicit, ut in *Misc.Theol.p.1.* dictum, *Et t.9.* monitum. Simpliciter bona & perfecta in hac vitâ esse defendit, illis coram DEO hominem justificari posse asserit, meritorum æternæ salutis etiam ex vi justitiæ apud DEUM facit, ut *c. l.* dictum, Et ultra legem supererogationis opera à renato præstari posse pugnat, qvibus alius juvetur, & qvæ in ejus usus erogari qveant, qvæ omnia errorum plena esse in *Theolog.* ostenditur.

22. *Contra legem DEI* varia proponit *Papismus*, unde convelli eam oporteat, totumq; Decalogum violat. *Contra 1.* Decalogi præceptum contemptum Scripturæ & Verbi DEI, *t. 4.* Traditionum humanarum ingentem farraginem, varias idololatrias in cultu San-

ctorum, reliqviarum, imaginum, panis Evcharistici, inducit, Cœnam Laicis mutilat, vanos ac superstitiosos cultus invehit, Scripturam & Patrum scripta variè depravet. Magica sæpè adhibet, probat, defendit, ut *Meisnerus p. 2. Ph. Sob. s. 1. 2. c. 2. q. 1.* ostendit. Et in Academiis qvibusdam Papisticis publicè Magia olim prælecta fuit. Ut *de Mag. act. c. 3. t. 11.* docui. *Contra II.* ambiguas juramentorum formationes ac relaxationes, perjuria in Magistratus hæreticos, ut ipsi vocant, abusum nominis divini in benedictionibus, consecrationibus, adjurationibus, baptisationibus variarum creaturarum, *t. 30.* Juramenta per angelos, sanctos, & sanctorum reliqvias approbat, ut *t. 11.* dictum; Vota temeraria & naturæ potestati adversantia proponit, probat, defendit, multi Papæ seipsos Sathanæ devoverunt. *Contra III.* certis diebus certas sanctitates ex sese adscribit, homines ab interiore cultu ad externas rituum, Ceremoniarum, Missarum, precum superstitiosarum & ignotarum observationes, imaginum cultus, processiones, fabulosas legendas Sanctorum pro Christi historiâ abducit, ac infinita festorū farragine Christianismum obtundit, de qvo ipsi cordatiores *Papistæ* sæpiùs qvesti, ut *p. 2. Misc. Theol.* dictum. *Contra IV.* liberos invitis parentibus per vota ad monasteria & ordines Jesuiticos detrudit, illud approbat, & contra parentum ac omnium superiorum voluntatem defendit, & inprimis Jesuitismus in propugnando paratum se ostentat. Magistratus vilipendium & excidia inducit, juramentis subditos exsolvit, Clericos à subjectione civilis Magistratus eximit, regna & principatus legitimis possessoribus abstrahit, & ad alienos transfert, Clericos curiam ingredi prohibet, ut Synodus Romana sub Sylvestro, *c. 16.* *Contra V.* immanes persecutiones, exilia, excidia, in Orthodoxos concitat, fovet, propugnat, Principum sicarias occisiones procurat & probat, dissidia & bella in Orthodoxos, qvandoq; in proprium sangvinem concitat. *Contra VI.* illegitima divortia probat & exercet, conjugia in gradibus prohibitis concedit & dispensat, lupana-

ria fert, adulteria, Sodomias, pæderastias, vilipendit & exercet, ut praxis Italica, Hispanica, Sicula, & multorum Paparum, Cardinaliũ, Episcoporum, vitæ docent. *Contra VII.* Simonias infinitas exercet, falsas donationes, ut Constantini M. fingit, bona Ecclesiastica injustè rapit, tenet, dilapidat, patrimonia ditiorum astutè attrahit, unde Venetâ ditione æternùm pulsi Jesuitæ. Sic *in Julium II.* versus extant : *Fraude capit totum mercator Julius Orbem,* vendit enim cœlos, non habet ipse tamen. *Et in Leonem X. Sannazarius : Sacra sub extremâ, si forte reqviritis, horâ, Cur Leo non potuit sumere, vendiderat? Melander T. 1. Jocos. c. 141.* Sic Laicis in Cœnâ calicem, & Bibliorum in notâ lingvâ lectionem surripit, multa pecuniis palàm vendit, furta in casu necessitatis probat, ut *Maldonatus in summ. q. 8. n. 3. Contra VIII.* infinitis mendaciis ac calumniis in dissentientes procedit, *t. 30.* Legendis fabulosis populo publicè illudit, miracula fictitia, obscœna & ridicula proponit, Scripturæ falsam editionem, ut vulgatam, probat & promulgat, Patrum scripta publicè corrumpit, Conciliorum decreta pervertit, qvædam apertè affingit, ut Niceno I. Alia mutilat: Innocentem contra propriam conscientiam sufficienter instructam & actu damnare licitum ait. *Contra IX. & X.* pravam concupiscentiam penitùs in Baptismo tolli docet, ut pro peccato in renatis ampliùs æstimari non debeat, Principum ditiones in alios transfert, propriis imperiis eos à Papâ exui posse docet, subditos in Magistratus concitat, ad bella, cædes, rapinas, inflammat, benedictiones immorigeris impertit, ac Papa universa Cleri sui vitia, Scripturæ, Patrum, Conciliorum, Historicorum, falsationes, perjuria, juramentorum elusiones, regicidia, mendacia, æqvivocationes, idololatrias, superstitiosas exorcisationes, magicas collationes, scortationes, Sodomias, pæderastias, simonias, furta, sacrilegia, festorum profanationes, calumnias, persecutiones, & anathematisationes innocentum, dissimulat, probat, excusat, absolvit, ut qvotidiana praxis *Papismi* apertè docet. *Conf. Botsacc. d. Eccl.*

Rom. non sanct. c. 11. *In Ceremoniis etiam & adiaphoris* non sine superstitione exerrat *Papismus*. Etiam illas certò à Christo ac Apostolis institutas pugnat, qvæ in sacris memoratæ non sunt, illis virtutem aliqvam spiritualem inesse, ac fructus effectusq; spirituales præstare posse contendit, eas ab Ecclesiâ institutas nullo casu, nec extra scandalum, omitti debere censet, easdem non res indifferentes, sed divini cultus partes dicit, ac apud DEUM meritorias esse asserit. Qvæ superstitiosa esse, suis omnia locis in *Theologicis* demonstrantur.

23. *In agendis specialibus* varia aberratio in *Papismo*, ut votis, Sacramentis, & similibus. *Vota* etiam sanctis nuncupari posse tradit: Qvicqvid DEO vovetur, divinum cultum asserit, etiamsi â DEO præceptum non sit, tria perfectionis vota esse contendit, voluntariæ paupertatis, obedientiæ, & continentiæ, Vota monastica servata perfectionis statum facere tradit, ubi & pro se mereri, & pro aliis supererogare liceat, & teneræ improvidæq; ætatis pueros puellasq; vota monastica præstare posse ait, qvæ parentibus rescindere non liceat, etiam conjuges ad hæc vota transire posse ante consummatum conjugium, qvamvis invitâ alterâ parte, docet, res à DEO præceptas voveri posse, & promissum DEO in baptismo factum votum esse negat, qvemlibet seriò volentem ad cœlibatus votum præstandum aptum esse pugnat, votivam paupertatem præstare moderato divitiarum usui, singulariter consultum, & singularis gratiæ, meritoriam esse tradit, qvod ipsum de monasticâ & votivâ obedientiâ etiam asserit & propugnat, qvæ variè erronea esse *alibi* ostenditur. *De Sacramentis tradit*, ea non obsignare divinas promissiones, nec fidem nostram confirmare, Verba consecratoria formas eorum facit, intentionem generalem & seriam faciendi id, qvod Ecclesia facit, in Ministro ad essentiam ac integritatem Sacramenti reqviri pugnat, eadem ex opere operato, h. e. vi ipsius actionis à DEO institutæ, gratiam operari ait, & V. T. Sacramenta tantùm gratiam justificantem adumbrasse, Novi autem in reipsâ continere ac conferre conten-

contendit, ac ſeptenario numero hæc ipſa in N. T. compingit, cum Scriptura tantùm duo propriè inſinuet. Qvæ maria errorum eſſe, *Theologia* commonſtrat.

24. *De Baptiſmo* aſſerit, tantam ejus neceſſitatem eſſe, ut infantibus ſine eo etiam inevitabili caſu decedentibus æternùm pereundum ſit, Characterem indelebilem ab eo in animâ hominis imprimi, fidem actualem infantibus per eum non conferri, Martyrium baptiſmo æqvipollere, & peccatorum remiſſionem æqvè ac illum conferre, ita peccatum delere, ut concupiſcentia poſt eum reſidua verum peccatum non ſit, ſed tantùm pœna & cauſa peccati, poſt eum mortaliter peccantes per eum non juvari, ſed ſecundâ tabulâ opus habere, pœnitentiâ ſatisfactoriâ, baptiſmum Johannis & Chriſti vi & efficaciâ diverſum facit, & ceremonias Romanæ Eccleſiæ in baptiſmo omninò neceſſarias aſſerit, qvæ omitti aut mutari non debeant. *In Cœnâ* appellationem Cœnæ rejicit & exagitat, tranſubſtantiationem panis in Corpus Chriſti invexit, permanentiam continuatam Corporis & Sangv. Chriſti cum ſpeciebus panis & vini poſt conſecrationem, etiam extra omnem edendi bibendiq; actum, defendit, Vinum Cœnæ aqvâ neceſſariò temperandum docet, Verba Cœnæ vim vertendi elementa in Corp. & Sangv. Chriſti obtinere tradit, ſolos Papiſticè ordini ſacro inauguratos Cœnæ veros adminiſtros eſſe pugnat, dignam ad Cœnæ uſum præparationem aſſerit, nullius peccati mortalis ſibi conſcium eſſe, alteram Cœnæ partem, vinum, Laicis præfractè negat & eripit, & ſic ipſam Cœnæ inſtitutionem impiè mutilare audet, qvod vel unicum, totum *Papiſmum* ſuſpectum reddere qveat. *Religio enim, qvæ Chriſti inſtitutionem perpetuò apud Chriſtianos valituram immutare audet*, non eſt à DEO. Nec ulla alia ex hodiernis religionibus id auſa eſt, qvæ omnes panem & vinum ſimul diſpenſant, ut *Lutheriſmꝰ, Calviniſmꝰ, Photiniſmꝰ, Anabaptiſmꝰ*. Solus *Papiſmus* id auſus eſt. E. non à DEO eſt, conſeqventer à Diabolo. Aliud enim in ſpiritualibus principium non eſt, præ-

ter DEUM & Diabolum : *Item* Euchariſtiam extra uſum in pixide aſſervatam ac deportatam & oſtenſam religiosè adorandam contendit, ex Cœnâ ſacrificium incruentum propriè dictum pro vivis & mortuis facit, & Miſſas cum ſacrificio introducit, easq; paſſim vendit & vendi jubet, ſicq; pecuniis mortales emungit, & in contemptum unicum & perfectum Chriſti ſacrificium apud eosdem adducit, qvi ad ſalutem non ſufficiat, ſed incruento qvodam ſacrificio ad placandum DEUM adhuc opus ſit, *contra Heb.9.v.26 c 10.v.14. In Miſsâ* ſacrificium Chriſti cum eodem valore offerri ſine morte ait, qvo cum morte oblatum eſt, qvo magis Chriſti mors oblitera-tur, qvàm ſi Chriſtum ſæpiùs mori diceret. Si enim eadem vis ſacrificii ſine morte eſt, qvæ mortis eſt, tum mortis non ita magna ratio habenda eſt, & ſic neceſſitas mortis Chriſti enervatur, contra *Luc.24.v.26.46.* Similiter in eâ rectisſimè ſangvinem Chriſti effundi dici aſſerit, ut *Bellarm.* loqvitur, qvo necesſitas & uſus mortis Chriſti evertitur, aliaq; fovet & approbat, qvæ erroribus ac ſuperſtitionibus plena ſunt. *Qvomodo pane conſecrato ad* horribiles abuſus variis modis in Papatu uti ſoleant, ut incendia, veneficia, tempeſtates, inundationes morbos, aliaq; tollenda, *Tract. de Pane, f.7.t.37.38.* monitnm fuit.

25. *In Locis de Novisſimis*, ut morte, reſurrectione, extremo judicio, mundi fine, inferno ac vita æternâ, etiam non ſine variâ corruptione *Papismo* tranſcurſum fuit. *In V.T.* limbum Patrum comminiſcitur, in qvo Patres detenti, dum Chriſtus à mortuis reſurgens eos in cœlum induxerit, *In novo* limbum infantum pro infantibus non baptiſatis, *in utroq;* purgatorium pro animabus cum venialibus peccatis è corpore migrantibus introducit, de cujus ſubjectis, ſtatu, loco, morâ, pœnâ, remedio & liberatione, immania & varia diſceptat. *Circa ſepulturam* in ſuperſtitionem flectit, & honoratiorem ſepulturæ locum mortuis utilitates fructusq; adferre cenſet, peregrinationes ad ſepulcra ſanctorum religionis cauſa ſvadet

& lau-

& laudat & defendit, hæreticis, qvos ipſe cenſet, ſepulturam honeſtam negat, animas ſanctorum defunctorum in cœlis ſpecialiter ſcire geſta in his terris, etiam ſuſpiria piorum ad ipſos miſſa, aſſerit, pro ſaluta viventium orare tradit, licitè à vivis pro interceſſione apud DEUM compellari poſſe, bona ſpiritualia & corporalia cultoribus ſuis conferre, rebus humanis, inprimis Eccleſiæ militanti intereſſe, & qvandoq; præeſſe cenſet, ut multis *Tr. de Comm. Sanctor. c. 6.* monitum, ſanctos defunctos canoniſandos, ad invocandum publicè conſtituendos & commendandos ſtatuit, reliqvias eorum religiosè à vivis colendas ait, & Communionem Sanctorum in Symbolo Apoſt. expreſſam inter cœtera multa horum reqvirere docet, ut *c. l.* dictum.

26. *De Reſurrectione* ſuperſtitioſa vanaq; qvædam proponit *Papismus.* Chriſti carnem reſurrectionis cauſam inſtrumentalem facit, Reſurrectionem multi Papiſtarum ex naturâ noteſcere ac probari poſſe aſſerunt, ut *de Notit. natural. c. 3.* dixi, qvandoq; à Judaicis fabulis non alienus eſt, ut de oſſiculo in homine putrefactionem non ſentiente, qvod *Rabbini* ſomniant, *L. Gerhard. d. reſurr. t. 100.* Ubi *Papiſtarum* legendæ non multum diſſimilia habent, ſi qvis collationem inſtituat, & vetuſtiorum deliria de cœlo & actionibus beatorum ſpectentur, *item de particula* carnis ab Adamo tracta, per qvam ex eo peccatum originale, ut *Lombardus* ſomniat *L. 2. d ult.* Et ex eo refert à *Lapide in C. 15. Matth. v. 17. Et Hebr. 7. v. 10.* Qvidam in Papatu rationes ſeminales ad reſurrectionem cadaveris ponunt, ut *idem 1. Cor. 15. v. 42.* adducit. Et de corporibus reſuſcitatorum, tàm piorum, qvàm impiorum, curiosè nimis multa diſceptat, qvæ ſatius tacere, & non ſatis prælucente Scripturâ diſſimulare, qvàm ſpecialisſimè diſcutere fuerit, *ignem*, qvo mundus conflagrabit, elementarem ex concurſu omnium cauſarum naturalium, ad ignis generationem reqviſitarum, futurum tradit, *mundum* non ſubſtantialiter interiturum, ſed in accidentibus innovandum, ac in meliorem

ſtatum redigendum docet, *Non* cœlum & elementa, ſed mixta tantùm ab igne deſtruenda tradit, impios, in fine mundi viventes, ab igne conflagrationis conſumendos aſſerit, extremum judicium in valle Joſaphat habendum cenſet, normam, juxta qvam judicium exercebitur, operum merita futuram contendit, *diem judicij extremi* determinat, qvaſi à morte Anti-Chriſti ſui, qvem fingit, & ſic expreſsè Chriſto contradicit, qvi nulli Angelo aut homini eum cognitum aſſerit, *Matth. 24 Marc. 13.* Infernum in loco ſubterraneo, & qvidem terræ centro, locat, curioſisſimè de ſitu, amplitudine, dimenſione, ſtatuq; ejus diſceptat, 1600 ſtadia ei tribuit, *Apoc. 14 v. 20. V. Lapide in h. l. Lesſium l. 13. d. div. perf. c. 24* aliosq́; ; Chriſtum ad inferos non eſſentia, ſed merito & virtute deſcendiſſe ait, ignem infernalem elementarem eſſe ſtatuit, vitam æternam mercedem operum meritis debitam facit, non gratuitum ex promiſſo benignitatis præmium, cœlum empyreum cœleſtem qvendam orbem ſtellis ſuperiorem & ſubtiliorem facit, in qvo fideles æternùm victuri ſint, & de aureolis beatorum curioſè ac ſpecialiter Philoſophatur, Conjugatis 30. viduis 60. Cœlitibus autem totam coronam & 100. partes gloriæ cœleſtis diſtribuit, in DEO velut in ſpeculo ſanctos omnia videre poſſe aſſerit, qvaſi medius inter cœlites ſediſſet, omniaq́; contemplatas esſet. Qvæ omnia Scripturæ ignota & erronea esſe, *in Theolog.* ſpecialius deducitur.

27. Ita *primum*, qvod ex promiſſo, *t. 2* hic tractandum, exactum, *& ad Locos Theologicos Papismus cum erroribus ſuis anatome aliqvâ redactus*, parumq; ſani in eo obtinere oſtenſum eſt. *Secundum*, qvod tradi promiſſum eſt, *Corruptionem ejus per omnes Mundi ſtatus, Eccleſiaſticum, Oeconomicum, & Politicum*, deducere eſt. Hoc cum ſatis è *t. 16. 17. 18. 19.* pateat, non eſt, ut operoſiore deductione jam oſtendatur. Stantibus multis *Papiſmi* hypotheſibus, variè ſtatus iſtos ſuccuti, labaſcere, enervari, ac de vigore ſuo deturbari, neceſſum eſt. *Non Conjugio* ea honoratio, qvæ debetur, relinqvitur,

qvam *Hebr. 13. v. 4.* reqvirit Apoſtolus: *Non Magiſtratui* ſua poteſtas, ſuperioritas, imperium, honor, qvem Scriptura reqvirit: *Non Eccleſiaſtico* ordini officium à Scripturâ præſcriptum ſervatur, ſed in inutiles ceremonias convertitur. Qvæ *agenda* in his ſtatibus, *vitanda, ſuſtinenda*, per dogmata, hypotheſes, praxes Papismi, enervari, infringi, & interdum everti oportet, ut ſpecialiter patebit, ſi qvid in conjugio obſervandum, Miniſterio agendum, & Magiſtratu curandum cavendumq́; ſit, accuratiùs diſpiciatur. Qvæ ad conſtitutionem, conſervationem, & exercitationem talium ſtatuum faciunt, in multis per *Papismi* hypotheſes corrumpi coguntur. *In Miniſterio* vocationem ad Clericos conſtringunt, totam Eccleſiam excludunt, *in Oeconomicis* ſtatum ipſum per cœlibatus vota & convitia ſuſpectum faciunt, *in Magiſtratu* potentiam & officium ejus variè circumcidunt, dum Clericos eximunt, ſceleratis vias obſiſtendi & declinandi Magiſtratus imperia aperiunt. *V. t. 16. ſeq.*

28. *Tertium, qvod hic proponi debuit, eſt theorian & praxin Papismi paucis ſiſtere*, ut ex illis repræſentatis planum fiat, qvid de genio ejus habendum, qvàm parum ſacri in eo ſervetur, multum impuri acervetur. *Theoria & cognitio ejus de Scripturâ*, Trinitate, Angelis, homine, Sacramentis, DEI actibus, Prædeſtinatione, Converſione, juſtificatione, glorificatione, item humanis praxibus, qvas ab homine expediri oportet, fide, ſpe, caritate, religione, votis, in plurimis erronea, inutilis, & fallax eſt, ut *t. 5. ſeq.* viſum. *Praxis religionis illius circa ea, qvæ practicè exercentur*, ad impietatem, fallacitatem, crudelitatem, curioſitatem, vanitatem, impuritatem, ſecuritatem, ſanctimoniæ contemptum & eluſionem, variè diſponit ac manuducit, *dum aliena opera* & ſatisfactiones applicari vivis & mortuis poſſe docet, ſuffragia pro vivis & mortuis conſtituit, Miſſas peccata vivorum & mortuorum, ac culpas ſimul & pœnas tollere docet, qvomodo expedita via ad omnia flagitia patranda aperitur, cum qvotidiè, vi miſſæ, & culpa horum elui, & pœna averti poſſit,

indulgentias omnium generum comminiſcitur, relaxationes infinitas, etiam atrocisſimorum ſcelerum, pecuniæ interventu introducit & diſpenſat, impias diſpenſationes circa vetitos gradus conjugij, atrocia facinora, hæreticorum excidia, lupanaria ferenda, juramenta reſcindenda, fovet & exercet, apertis fraudibus ac impoſturis ſua propugnat & defendit. *Impoſturas varij generis* in variis ſcibilibus committit: dum falſos libros pro divinis & Canonicis ſupponit, eosq; Canonicis æqviparatos vult, ut apocryphos Vet. Teſt. ut Juditham, Tobiam, Siracidem, aliosq;, *falſas* ac inſulſas traditiones pro veris ac Apoſtolicis obtrudit, ut de jejunio qvadrageſimali, cœlibatu clericorum, aliasq; *falſas* hiſtorias & ſtolidas legendas pro veris venditat, infinitas fallacias circa reliqvias ſanctorum, apparitiones animarum è purgatorio, revelationes ſanctulorum, ſimilesq; materias introducit & fovet, *t.30.* Sæpè bonas deceptiones de fraudes erga filios ſuos exercet, ut ad bonum alliciat, qvod *Bonavent. in 4. ſent. d. 21.* aliiq; circa indulgentias fatentur, contra *Rom. 3. v. 8.* æqvivocandi artes proponit & tuetur, mentiendi eludendiq; modos ſpecialiter deducit, juramenta æqvivoca approbat, jejunii loco ciborum delectus introducit, Magiſtratum hæreticum vi deponendum & extirpandum docet, hæreticos abſolutè interficiendos, & libros eorum comburendos cenſet, perſecutiones horribiles in disſentientes in religione excitat & exercet, lanienas varias ſuper eâ occupat & approbat, *ut Lutetianam, Helveticam, Gallicam, Bohemicam, Belgicam, Hibernicam*, & nuper *Sabaudicam*, Inqviſitiones Hiſpanicas introducit, exercet, probat, ut publica ſcripta, hiſtoriæ, & Acta atteſtantur. *Vergerius* per eas in 30. annis 150000. homines occiſas eſſe narrat. Similia *Chamier T. 2. L. 16. c. 15.* habet.

29. *Ita Confesſiones ſpecialisſimas* exigit & propugnat *Papatus*, aliena imperia ad propagandam religionem vi ac armis invadenda docet, peccata qvædam naturâ ſui venialia eſſe aſſerit, Concupiſcentiam in renatis verum peccatum eſſe negat, & ſic variam peccandi

licentiam,

licentiam, securitatem,& peccata vilipendendi occasionem invehit, taxas pœnitentiarias omnium peccatorum introducit, & sic facilia peccandi solatia pertinacibus peccatoribus suggerit, per fidem implicitam ac carbonariam, ad meram spiritualium justitiam rudemq; ignorantiam miseram plebem deducit, tandemq; in æternum exitium præcipitat, studium bonorum operum & pietatis per multas hypotheses, dogmata, praxes, licentias, dispensationes, relaxationes, compensationes, corrumpit & enervat, ut specialiùs *Gerhardus in disp. de studio pietatis* deduxit. Gloriam DEI & Christi ejus qvomodo per Mario, angelo, hagio, icono, arto, Papo, & lipsanolatrias variè labefactet & evertat *Papismus, idem d. t. d. gloria DEI, Tummius in idolol. Lechnerianâ, Rainboldus de idolol. Rom. Eccles.* ostendunt. Misericordiam DEI, per merita, satisfactiones proprias, opera, indulgentias, electionem qvorundam absolutam, aut qvorundam & meritis prævisis, & infantum ante baptismum defunctorum damnationem enervat, ut *Idem c. l.* deducit. Mariæ olim totum Psalterium blasphemè applicârunt *Papistæ*, *Jesuitæ* hodiè retractant, & se talibus scriptis non teneri volunt, ut ex *Contziij*, *Roëstij*, aliorumq; scriptis patet. Sed publica olim scripta fuisse, in Ecclesiâ Romanâ recepta, approbata, defensa, negari non potest, neq; ullâ publicâ authoritate ut illegitima, & qvæ vim habere non debeant, unqvam adhuc rescissa sunt, sed cum Confirmatione multorum Paparum diversis in locis variè edita sunt, ut *Gerhardus d. mort. t. 45.* aliiq; alibi docent. Papæ divinos titulos, potentiam, imperium, opera, impiè adscribunt, *t. 13.* Olim Canonistæ, hodiè Jesuitæ, impudentissimè hic procedunt, ut publica scripta demonstrant. Qvod si praxin exemplarem vitæ *Pontificum, Capitum Ecclesiæ Romanæ*, ut censent, respiciamus, ingens farrago omnium vitiorum suppetet, avaritiæ, luxuriæ, superbiæ, impuræ Veneris, Sodomiarum, pæderastiarum, turbarum, bellorum, impietatum, magiarum, ut vitium vix cogitari possit, qvod non à Papis designatum fuerit, ac ab Papali sede vitiositas ferè in univer-

ſum Eccleſiæ Corpus defluxerit, *ut ipſi Pontificij ſcriptores* fatentur & deſcribunt, *Platina, Urſpergenſis, Blondus, Arn. Sylvius, Bergomenſis, Onuphrius. Mart. Polonus, Volaterranus, Sigebertus, Nauclerus, Benno, Hoſtienſis, Damianus, & alij*, ne qvid nos hic confinxiſſe videamur. *Adrianus VI. Papa* per Legatos ſuos in Comitiis Noribergenſibus anno 1523. id apertè faſſus eſt. Ubi autem caput ita infectum fuerit, qvid de reliqvo Corpore ſperari debeat, facile cogitare erit, nec idẽ *Papa c. l.* id diſſimulare potuit.

30. *Superſtitiones infinitas circa benedictiones* variarum rerum, ut agnorum DEI, cereorum, campanarum, herbarum, ciborum, potulentorum, exorciſationes & adjurationes Spirituum, Corporum, conſecrationes templorum, domuum, agrorum, utenſilium, rerum, contra fulmina, fulgura, tempeſtates, Magicas & illicitas ceremonias circa fures explorandos, attinendos, retrahendos, multas inſulſas rationes ac methodos, in magicis dignoſcendis & repellendis, ut *Tract. de Mag. action. c. 11.* notatum, vanas efficacias multis ſuperſtitionibus & inutilibus rebus affinxit, ſimiliaq; proponit *Papiſmus*, probat, defendit, excuſat, incruſtat, ac imprimis Jeſuitæ artifices ſe hic præſtant. Qvod impoſturis Sophismatum, corruptionum, detorſionum, hiſtoriarum, miraculorum, revelationum, procedat, ſuaq; defendat *Papiſmus*, ſcripta vetuſtiorum & recentiorum teſtantur, ac Catalogum aliqvem *Chamier T. 2. Panſtrat. L. 16. c. 9. 10. 11. ſeq.* contexuit. *Sæpiùs* hic fabulæ pro hiſtoriis, ſophismata pro argumentis, technæ pro inſtructionibus, eluſiones pro reſponſionibus, abductiones pro probationibus, & ſimilia accurrentia videantur. Ac *poſt Jeſuitas exortos* copioſior omnium farrago & numerus ſuccrevit. Nihil his in oppugnando ferè audacius, in damnando injuſtius, in negando impudentius, in procedendo iniqvius. Maledicentiam & virulentiam eorum in ſcribendo *Bellarmini, Gretſeri, Buſei, Roöſtij, Valentiani, Foreri, Piſtorij, Lechneri, Maldonati, Kelleri, Andr. Eudæmon Johannis, Lamparteri, Serarij, aliorumq́;* ſcripta

ſcripta aperiant. Apertiſſima interdùm negant & impugnant, ut Papam aliqvando fœminam fuiſſe, qvod ante exortos Jeſuitos nemo negavit, Alexandrum Papam Friderici Imp. collum pedibus calcaſſe. Qvosdam Papas excuſant & defendunt, qvos Hiſtorici communiter ſceleratiſſimos fuiſſe teſtantur. Mendaciſſimè ac calumniosè multa Lutheranis & Reformatis imponunt, ut *de calumnia Theol. ſ. 1. dixi.* In detorqvendo ac imponendo argutos ſe præbant, in arguendo ſæpiùs imperfectas argumentationes & Enthymemata, Sorites, Syllog. compoſitos, pro perfectis, & implicatos pro explicatis ac apertis adhibent, ut faciliùs incautos convellant.

31. *Ut in ſummâ aliqvâ Corruptio praxeos in Papiſmo* deſignetur, corrupit praxin Theologicam *Papiſmus multiplicando*, dum infinitam copiam obſervationum, rituum, feſtorum, Ceremoniarum, ſuperſtitionum, idololatriarum; introduxit, & ingens jugum Chriſtianis impoſuit, qvod ferè legali jugo Judæorum gravius & intolerabilius extitit, de qvo ipſi cordatiores *Pontificii* qvandoq; conqveruntur, ut *in Miſc. Theol. p. 2.* dictum: *ſimiliter detorqvendo & corrumpendo*, dum indifferentia in neceſſaria, & initiis ſuis bona ac licita, in ſuperſtitioſa, vana, ac modis finibusq; aliena & illicita convertit, ſigna indicantia & commonitoria in effectiva, virtualia, ac perfectiva detorſit, totumq; priſcum antiqvitatis inſtitutum evertit, *& deniq; vana dogmata in praxibus pro ſolidioribus inducendo*, dum talia propoſuit, propugnavit, aſſeruit, & reclamantes, aut recipere recuſantes, igne ac ferro exſcidit, qvalia potiùs anilia ac ſuperſtitioſa cenſenda ſunt, qvàm recta, congrua, vel ad λογικὸν aliqvem cultum, qvalis Chriſtianorum eſſe jubetur *Rom. 12. v. 1.* qvadrantia, ut cum effectus corporales & ſpirituales benedictionibus, & baptiſmis inſenſatorum, & exorciſationibus rerum, adſcripſit, *t. 30.* Homines à ſcripturâ & ejus inſtitutis, ad vanas ceremonias, traditiones, & obſervationes humanas, ac mundi elementa deduxit, velut, hoc non tangendum, edendum, ita jejunandum, hæc & illa eligen-

eligenda, ista aversanda, *Colos. 2. v. 16. seq.* Qvalia in Pharisæis & pseudo-Christianis olim jam damnata sunt, *Matth. 15. v. 9. Marc. 7. v. 6. 7. Colos. c. l.*

32. *Vitiositatem Papatus per totum* in synopsi sistendo, principium Theologicorum, scripturam, *Papismus* variè corrumpit, evertit, blasphemat *t. 4.* Principium historicum, traditionem Ecclesiasticam, variè adulterat, supposititia pro veris substituendo, in veris nonnulla addendo, minuendo, invertendo, depravando, sæpiùs aperta mendacia ac commenta pro veris inducendo, ut donationem Constantini M. Episcopatum Romanum Petri, similiaq; *t. 22.* & *Baronii* annales docent: In scripturam valdè injurius Papatus est, *t. 4.* In Papam nimis prodigus & indulgens, *t. 13.* in superstitionem nimis patens, *t. 27. 29.* in crudelitatem & tyrannidem nimis inclinans, *t. 19.* In imposturas nimis propensus, pias Matris Ecclesiæ fraudes subindè admittens, & excusans, *t. 29.* Reservationes mentales, elusiones, æqvivocationes, proponens ac defendens, modosq; recitans & explicans, *t. 27.* In impietatem, securitatem, licentiam, vias & occasiones inducens, *t. 28.* In curiositatem infinitam, & conseqventer rixositatem, nimis effusus, *t. 3.* In alia inutilia, ac in Theologicis magis noxia, qvàm proficua, valdè declinans, ut ex supra traditis constat. *Papismus scripturam contemnit*, varios errores propugnat, vi, dolo, mendaciis, armis, ferro & igne, sua tuetur ac propagat, modum convertendi homines tyrannicum & àChristianum adhibet, pietatem enervat, impietatem inducit & fovet, Magistratum contemnit, Conjugium infestat, securitati aut desperationi fenestram aperit, superstitiones invehit & amplificat, Implicitum credere, tandemq; nihil credere inducit, variasq; veteres ac dudum rejectas hæreses ex Orco reducit, è qvibus velut impurus cento conflatus est, ut *Gerhardus, Chamierus, Alstedius, Molineus, Tummius, aliiq;* deduxerunt. Imò *Papismus doctrinas dæmoniorum*

niorum tradit, eoq; omni pio Christiano instar Cerberi fugiendus est. Conjugium n. Clericis superioribus universis inhibet *t. 17.* Qvod dæmoniorum doctrinam Apostolus vocat, *1. Tim. 4. v. 1. seq.* *Judaismum* in variis introducit, dum Judaicas fabulas qvandoq; reducit, *t. 26.* Et similes per totas Legendas aureas proponit, purgatorium ab illis sumit & ad Judæos provocat, *V. C. à Lapide in 2. Macc. 12. v. 43.* Delectus ciborum præscribit, eosq; falso jejunii nomine obtrudit, cum scriptura nunqvam id jejunium appellet, nec usitatum vocis significatum id ferat, variamq; festorum farraginem imponit, *t. 22.* qvibus Judaismus reducitur, *Col. 2. v. 16. seq.* Infinitas ceremonias & onera, regalibus ferè respondentia, aut duriora, Christianis alligat, & libertatem eorum Judaicâ specie infringit, *Gal. 5. Col. 2.* Missæ ornatus, agnos cereos ut Judaismus agnos paschales, inde hausit, & Judaicâ vanitate eos commendat, & superstitiones infinitas ac insulsas proponit, fovet, & tuetur, qvibus totus fartus ac distentus Papismus est. *Pharisæismos* in multis imitatur ac defendit, *partim* superstitionibus, *partim* imposturis, *partim* legum, Ceremoniarum, & rituum copiis, *partim* fastu, rapacitate & avaritiâ, hypocrisi & ementitis pietatis speciebus, crudelitate & sangvinolentiâ, *partim* pertinaciâ & induratione, *partim* aliis rebus, ut ex hactenus traditis patet, & pluribus *Reneccius* præf. Panopliæ deducit. *Pharisæismus autem & Judaismus* dæmoniorum doctrinæ sunt, ut constat. *Multa* etiam cum Turcismo & Mahometismo communia habet, ut *Author Turcopapismi* deducit. Seriò ergò prudenti cavendus, non admittendus *Papismus* erit. *A tali sectâ gens pia tute cave!* Nam universa Christianismi fermè corrupit.

33. Sic & *tertium* hic destinatum traditum fuit, vanitas theorias & praxeos in Papismo. *Qvartum est, ut principia, hypotheses, & consectaria ejus repræsententur, qvalia sint. Principia Papismi sunt, qvibus ille fundatur, constituitur, & innititur.* Et dogmata qvædam faciunt, qvæ velut radices anteponit, qvib9 alia substrui ac imponi debeant. Hæc

nullius pretii & commatis in eo ſunt. Ut *de Scripturæ imperfectione*, obſcuritate, ambiguitate, ab Eccleſiâ dependentiâ, traditionum ad jectione, *Papæ* ut ſummi in Spiritualibus Judicis interpretatione, univerſali in totam Eccleſiam authoritate, decidendi in fide infallibilitate, utriusq; gladii poteſtate, Petri cathedra & ſuccesſione, ſupra Magiſtratus totius Orbis eminentiâ, *Eccleſiæ Rom.* prærogativâ, authoritate, infallibilitate, cogendi ad fidem, viq; doloq; adigendi poteſtate, hæreticorum & ſedi Romanæ reclamantium abſolutâ perditione & exciſione, & ſimilia, qvæ mordicùs tenet, tuetur, & propagat *Papismus*. In qvibus variæ impoſturæ occurrunt, ſupra *t. 4. ſeq.* jam notatæ, ſic de traditionibus varia imperfectio & hallucinatio occurrit, *t. 32.* De ſummo & abſoluto Scripturarum in his terris interprete, Pontifice Rom. ubi nulla è Scripturâ ſoliditas, merum ſilentium, aut detorta alienisſimorum dictorum ad rem probandam citatio, *t. 4. 13.* De eodem ſummo Controverſiarum Judice, & è Cathedrâ publico infallibili deciſore, qvæ ſimiliter Scripturis prorsùs ignorata, *t. 13.* De Eccleſiâ Romanâ ſolâ Catholicâ, ejus abſolutâ in ſpiritualibus authoritate, conſpicuitate, infallibilitate, interpretandæ Scripturæ ſoliditate, & inappellabili poteſtate, de revelationibus & apparitionibus animarum, ſpirituum, aliorum, qvi ſuffragia, Miſſas, purgatoria, peregrinationes, monaſteria, templa erigenda, ſtatus poſt mortem, qvandoq; revelârint, qvæ omnia impoſtoria, incerta & ſuſpecta ſunt, ac meritò Chriſtiano eſſe debent, qvi veritatem à mortuis reqvirere non debet, *Eſa. 8. v. 11.* Et qvæ ipſis cordatioribus *Papiſtis* qvandoq; ſuſpecta, ut *alibi* traditur, ſimiliaq;, in qvibus omnibus error, ſuſpecta ac incerta res continetur, qvibus deinde alia dogmata ſuperſtruuntur. Sic, *qvæ de Sanctis qvibusdam* & eorum actionibus proferuntur, ſæpius incertisſima ſunt, vereq; dubitatum, an unqvam in natura rerum illi extiterint, aut qvidqvam egerint, ut *Chriſtophoro, Georgio, Amadeo*, ejusq; revelationibus, qvæ & ipſis *Pontificiis* qvibusdam ſuſpecta, adeoq; incertisſimæ veritatis ſunt. *Breviter, Papismi fundamenta ſunt Scripturæ vilipendium* &

imperfectio, traditionum verbiq; non scripti receptio & æstimatio, Papæ Rom. Oecumenica præfectura, Ecclesiæ Rom. prærogativa, revelationum, apparitionum & visionum attestatio, ac similia. His in se constituitur Papismus, illis fundatur, tandemq; in ea resolvitur.

34. Qvod si *varia Patrum scripta subindè à Papatu allegata spectare placeat*, qvæ supposititia esse certum est, qvalia pleraq; epistolæ *Ignatii*, *Justini expositio fidei*, *Athanasii qvæstiones ad Antiochum*, *Augustino varia* adscripta, qvæ reverâ non ejus, *Chrysostomi in Matthæum*, qvi non ejus, *Cypriano* varia supposita, aliaq; sunt, unde passim probationes ac firmamenta sententiarum in *Papatu* depromuntur, & hic fundamento valdè ruinoso *Papatum* niti conspicuum erit. Horsùm referri qveant, *qvæ de expurgatoriis indicibus super scripta Patrum & aliorum*, ubi aliqvid à Papatu alienum tradunt, animadvertuntur, ubi publica Patrum scripta castrantur, mutilantur, pervertuntur, in sensus prorsus contrarios, qvàm in antiqvis & probatis exemplaribus præferunt, immutantur, ne, qvod dicunt, in præjudicium *Papismi* dicere videantur aut permittantur, sed ad *Papatum* reducantur: *Aliorum scriptorum opera mutantur* & corrigi jubentur, aut legi prohibentur, priusqvam qvod *Papismo* non sapit, inde erasum aut mutatum sit, unde *index expurgatorius Romanus*, *Hispanicus*, *Belgicus*, ubi pro lubitu cum scriptis proceditur, dum non *Papatus* sinistri qvid inde experiatur, sed sua dogmata, placita, hypotheses, in illis contineri, aut saltem non impugnari deprehendat. *Papismi* veritas in omnibus præsupponitur, & velut primum ac ultimum summo loco collocatur, ut ad ejus eminentiam omnia flectantur, corrigantur, detorqveantur: si qvid ei præjudicare videatur, totum ut impium, erroneum, hæreticum, rejiciatur ac damnetur. Cum tamen ea veritas maximè controversa sit, & hodie, si qvid *Papatus* è proprio habeat ac doceat, totum erroneum, impium, & superstitiosum esse, aperiè à *Protestantibus* demonstratum sit. Secta autē, tali

modo cum scriptis aliorum procedens, meritò cordatiori suspecta esse potest.

35. *Hypotheses sunt sententiæ qvædam receptæ*, principiis innixæ, velut certæ assumptæ, qvibus ulterior *Papismi* structura absolvitur. Hæ etiam nullius pretii in eo sunt. *Qvales sunt, de generali totius Ecclesiæ Christianæ ad sedem Romanam in spiritualibus appellatione*, spiritualis ac secularis gladii legitimo exercitio, à Papâ occupato, Principum hæreticorum licitâ exauthoratione ab ipso factâ, ipsorum occisione, subditorum â juramento absolutione, hæreticorum absolutâ excisione, librorum hæreticorum combustione, Clericorum â magistratus Civilis imperio exemptione, eorum votivâ ad perpetuum ac voluntarium cœlibatum & paupertatem constrictione, peccatorum omnium, qvorum memoria subit, necessariâ & speciali in Confessione enumeratione, sacerdotis in censendis laxandisq; peccatis judiciariâ potestate, thesauri indulgentiarii è superfluis sanctorum meritis aut passionibus in Ecclesiâ asservatione, & Papæ in dispensando illo applicandovè summâ potestate, aliæq; de statibus, praxibus, & dogmatibus, supra *t. 7. seq.* enumeratæ, qvibus obtinentibus, & theoriam & praxin Christianam flaccescere, tandemq; interire oportet.

36. *Consectaria demùm sunt, qvæ è principiis ac hypothesibus taliter statutis manare qveant*, & conseqventer deduci debeant. Qvalia sunt, veritatis divinæ corruptio & praxeos spiritualis enervatio ac eversio. Veritatem DEI in eâ sectâ esse, qvæ tot erronea, de scripturâ, DEO, Angelis, homine, ejus institutione, corruptione, restitutione, DEI actibus, omnibusq; locis Theologicis, publice proponit, defendit, & rata esse cupit, imò gladio adversus contradicentes vindicanda propugnat, qualia *t. 4 seq.* deducta, impossibile est. Hac autem concussâ; veram fidem in eâ obtinere non datur. Non n. cum *tot erroneis publicè dogmatisatis*, propugnatis, sæpè sub anathematis pœna promulgatis, ea consistere potest. Qvod aliàs fieri qvandoq; potest, ubi

ex merâ ſimplicitate & neſcientiâ, ſine ullâ animi malitiâ, aliqvid ignoratur, vel etiam erroneè tenetur, nec error meliore informatione eximitur, qvod abavis noſtris in *Papatu* olim contigiſſe certum eſt, nec illa defendendi pertinacia adjicitur. *Praxin* autem Chriſtianam rigere, illibatam ſervari, aut ſolidè exerceri poſſe, ubi tot obices in contrarium nitentes ei ponuntur, h. e. oppoſitæ hypotheſes & ſententiæ, de praxibus generalibus & ſpecialibus, ac ſtatibus vitæ publicis, publicè recipiuntur, proponuntur, defenduntur, ac oppoſitum prohibetur, vel etiam ut hæreticum reprobatur & damnatur, qvalia in *Papiſmo* proponuntur *t. 16. ſeq.* fieri nullâ ratione poteſt. Ubi autem *theoria & praxis Chuiſtianæ rei* corrupta eſt, ibi veri Chriſtianiſmi parum aut nihil amplius ſupereſſe conſeqvens eſt. Qvod de *Papiſmo*, ex hactenùs propoſitis, Conſectarii velut loco, deducendum ac concludendum eſſe, manifeſtum eſt. *Deniq; generaliter* contra Papatum ſic inferre liceat: *Qvæ religio Inſtitutionem Chriſti immutare audet*, ea non eſt à DEO. *Papiſmus* eſt talis religio, & in Cœnâ, ubi Chriſtus ſub pane & vino ſimul inſtituit, *Papiſmus* panem Laicis porrigit, & vinum ſubtrahit, idq; ſolenniter in Conciliis, *Conſtantienſi & Tridentino*, concluſit, ac faciendum præſcripſit. E. non eſt à DEO de qvo *t. 24.* plura dicta.

37. Ita *Papiſmus* in principiis, hypotheſibus, Conſectariis, theoria & praxi ſuâ ſpectatus ſit. Qvod ſi *de effectis ejus* qværatur, de qvibus etiam *t. 2.* aliqvid tradendum promiſſum eſt, magna eorum pars è *t. 28. 29.* traditis colligi poſſit. *Ut diſtinctè tamen & de illis breviter* aliqvid memoretur, effecta *Papiſmi*, hactenùs in principiis & hypotheſibus repræſentati, aſſignari poſſint *Impietas, Securitas, Licentia, & deſperatio. Impietas* in Scripturæ neglectu, contemptu, detorſione, & infamatione, Conjugii, Magiſtratus vilipendio, variorum vitiorum aſſvefacta, ac inductione, qvæ ex hypotheſibus ejus exſurgere oportet, *t. 28.* Superſtitionum receptaculo & ſuſcitabulo, *t. 30.* Variisq; dogmatibus contra Scripturam & primam antiqvitatem

impiè inductis, *t.5.seq.* similibusq; elucet. *Impium enim est*, talia de DEO, DEI verbo, actibus internis & externis, homine corrupto & restituto, praxibus vitæ & statibus, sentire & propugnare, qvalia *Papismus*, ex se & suis formalibus spectatus, sentit & propugnat. *Et impium est*, contraria dogmata è scripturis, sumpta, & ad illas conformata, damnare, ac publico anathemate proscribere, qvod *Papismus in Concilio Constantiensi & Tridentino fecit.* *Securitas*, qvâ variis hypothesibus *Papismi* præassumptis & custoditis, animus hominis in securam viam redigitur, vita obiter degitur, parum pietatis studium curatur aut promovetur, cum missis, satisfactionibus, indulgentiis, suffragiis, alienorum meritorum emptionibus & applicationibus, omne id, qvod in vita prudenter transigendâ omissum est, largiter ac faciliter sarciri possit, aut in purgatorio tandem, si qvid seqvius commissum, elui post hanc vitam ad tempus possit. *Licentia, qvâ*, iisdem hypothesibus suppositis, libertas aliqva carni suggeritur, audendi qvod velit, cum meritis confessionum, satisfactionum, suffragiorum, indulgentiis, universa expiari aut molliri iterùm possint, & si propriorum meritorum sterilitas adsit, alienorum appropriationibus defectus ille suppleri qveat. *Desperatio*, qvà hypothesibus, de incertitudine electionis nostræ ad vitam, gratiæ DEI, Justificationis, perseverantiæ, obsignationis & salutis, item de dubitatione, sufficientiâ in contritione, pœnitentiâ, confessione, satisfactione, & negatione obsignationis fidei per sacramenta, ac fiduciâ in fide justificâ, receptis ac defensis, via ad desperandum sat obvia aperitur, ut cum omnia in incerto posita homo percipiat, de ipsâ salute tandē vacillare incipiat, an amore, an odio dignus sit, ignoret, omnia incerta præsumat, sicq; fluctuans, & desperationi qvàm spei vicinior, vitâ excedat.

38. Sic *anatome papismi universa*, per membra sua, qvæ proponere animus fuit, exacta. Si ulterà qværere qvis insistat: *qvid tandem Papismus Jesuiticus & quantum à veteri divertat?* Cum discrimen aliqvod *t.4 14. 20. 29.* alibiq; memoratum sit; respondere commodè liceat, *in nonnullis exasperando,*

in aliis

in aliis mitigando, in qvibusdam indifferenter procedendo, cum à Veteri qvandoq; divertere. *Exasperat* qvædam de Scriptura, cui judicandi officium in spiritualibus prorsus derogat, ut *Colloqvium Ratisbonense* docuit, qvam non ita expressè aut validè impetiit antiqvus, autoritatem ejus qvoad nos prorsus ab Ecclesiâ suspendit, variisq́. modis validius in eam injurius est, *t. 4.* Papam absolutè superiorem Concilio facit, cum vetustior Papismus magna scriptorum parte eum illi subjecerit: Potestatem ejus in temporalibus multi in Veteri Pap. negârunt: Sed Jesuiticus indirectam totaliter propugnat. Æqvivocandi, eludendi, Pejerandi artes Jesuiticus inprimis induxit, fovit, propugnavit, qvæ veteri ita specialiter ampliterq́; cognitæ non fuerunt. In Prædestinatione ferè ad absolutum decretum cum rigidioribus *Reformatis* Jesuiticus decurrit, cum *vetustior Papismus* prædestinationem ex prævisis meritis tenuerit, *t. 39.* qvæ & si erronea, tolerabilior tamen sententia, absolutâ hominum rejectione DEO tributa, est. In sententiis de Christo, ad reformatorum hypotheses Jesuiticus Papismus fermè declinat, cum antiqvior aliter in multis qvâ hoc punctum processerit, ut collatio sententiarum de Christo in Theolog. docet.

39. Mistigavit nonnulla *in dogmate de dubitatione salutis*, ubi cum timore tantum & tremore salutem suam operari homines debere *Phil. 2. v. 12.* intelligendum docet, ut *Reibingus aliiq́, ut de fid. Christ. L. 2. c. 3.* adduxi. In indulgentiis negat ullum peccatum remitti, tantum pœnas temporales, peccatis adhuc residuas, laxari ait, ut *Contzen, ut c. l. c. 4. t. 19. 29.* dixi, cum vetustior longè crassius hic processerit, ut *Lutheri* tempora & oppugnati Papatus primæ occasiones docent. *In invocatione sanctorum*, negat divinum honorem Mariæ aut sanctis se tribuere, sed longè inferiorem ait, & qvæ in Psalterio Mariæ, Marialibus, & precationum libris duriora ad Mariam ac sanctos directa inveniantur, ut privata & qvandoq; inaccurata scripta habenda vult, è qvibus de publico Rom. Ecclesiæ dogmate judicari non debeat, *ut c. l c. 4.* monitum, & *t. 29.* jam adductum. *In Conversione hominis ad* DEUM, mollire aliqva visus est, & à crassis olim Pelagianis recedere, qvos ferè vetustiores *Papistæ* secuti fuerunt, videri vult, ut è *Ballarm L. 6. d. lib. arb. c. 4. 5. 9. 13. Alvaretz l. 1. & 26. de auxil. grat. d. 1. 49. 55. aliisq́, patet.* *In Prædestinatione*, vetus Papismus ferè ex prævisis meritis eam tenuit, ut multi Patres ante Augustinum, ut *Prosper ac Hilarius* testantur, & Scholastici plurimi secuti sunt. Sed *Jesuiticus Papatus* mollire videri vult, ac à parte nostrâ nullam in nobis Præ-

desti-

deſtinationis cauſam dari pugnat, ut *Bellarm. L. 2. de lib. arb. C. 10. 11. ſeq.* Ubi operosè id probat, *Valentia T. 1. p. 518. ſeq. aliiq;.* Et ad abſolut. decretum fermè delabitur, *t. 38.*

40. *Indifferenter in nonnullis proceſſit, qvando dogmatum qvorundam diſceptata in utramq; partem ventilari conceſſit,* neutram ſententiam atro calculò notare ſuſtinuit. *Ut de immaculata* vel peccaminosâ conceptione Mariæ, de qvâ in hodiernum diem nihil certi à Pontifice conſtitutum eſt, ſed utramq; partem ſuo ſenſu abundare concesſum fuit, tantum publicè ſilere, nihil diſceptare, utraq; pars juſſa eſt. *De Pontifice Romano*, ſupra vel infra Concilium exiſtente, *de cultus modo* ac ratione, imaginibus & ſignis ſacris exhibenda, an cum prototypo idem ille, an ab eo diverſus & minor eſſe debeat, *de modo operandi* & efficaciam exſerendi in ſacramentis, an Phyſicus ille, an potius moralis ſit, an ex opere operato, an potius operantis ille procedat, *de auxilio gratiæ*, congruo ad temperamentum & diſpoſitionem hominis convertendi, vel non congruo, *de prædeterminatione* divinâ voluntatis humanæ ad omnes actiones Phyſicâ vel morali, *de voluntatis* ultimâ ad agendum, à judicio intellectus practico determinatione vel indifferentia, *de mundi* æternitate posſibili vel imposſibili, *de creaturæ* ad creandum divinâ elevatione, an fieri ea qveat, an minus, *de* Magis ad Chriſtum venientibus, utrum Reges fuerint, an ſecùs, *de* notitiis naturalibus, an per modum habitus, facultatis, actus, aut diſpoſitionis, poſt lapſum in homine ſe habeant, *de* ſalute gentilium, ex mero naturæ lumine occupatâ, an ſolâ naturæ lege ſalvari illi potuerint, *de* intellectu angelico, an & per modum diſcurſus ac argumentationis intelligat, qvæq; ſimilia ſunt, de qvibus *Tr. de notit. natural. Cauſa per accidens, multipræſentiâ finiti, Converſione hominis, Communione ſanctorum, Natalitiis, Michaelibus, decade 3. Miſcell. aliisq;* dixi. In qvibus ipſos *Jeſuitas* ſententiis qvandoq; divertentes advertere licet. Ita negant *Valentianus, Drexelius, Tannerus, Svaretz*, Angelum per diſcurſum cognoſcere. Sed *Vasqvetz, Becanus, aliiq;* affirmant. Sic eundem ſolâ voluntate ſe & alia movere, *Delrius, Molina, aliiq;*, ſed peculiari ac diſtinctâ vi ad movendum id facere, *Svaretz, Conimbricenſes, aliiq;* asſerunt, & *in Michael.* adductum fuit. Ita Corpus impresſo impetu angelum movere poſſe, affirmant *Molina, Vasqvetz*, negant *Svaretz, Tannerus, aliiq;*, *ut c. l.* oſtenſum. Similiter in aliis materiis divertere deprehenduntur. Hæc de universâ *Papiſmi anatome* hac vice per ſyllogen qvandam CUM DEO dicta eſſe ſufficiant.